

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann



TM 0278

Theodor Mathis

22. IV 1993





Salomon Glasius  
S. S. Th. D. et P. P. in Academia Jenensi past. Eccles. et Scholasticus  
in Ducatu Saxon. Gothar. Superintend. Cener. et Consistorii. Gothar.  
natus Semberhufi xx. Nov. 1603. deinde Gothar. & ad huc stetit

CHRISTUS  
IN PECCATIS NOSTRIS  
SERVIENS,

*Sen*  
DICTI PROPHETICI

*Esa. XLIII, 24. 25.*

Servire me fecisti in iniquitatibus tuis, &c.

*Succincta & Orthodoxa*

*explicatio,*

*Quam*

Doctore IesV faVenter annVente MortVo,

*Præscitu & consensu Venerandæ & Ampliss.*

*Facultatis Theologicae*

Ad placidam disputationem proponit

*publicè*

SALOMON GLASSIUS,

SS. Theol. Doctor & Professor

Publicus,

RESPONDENTE

INGUARDO NICOLAI,

Mulvadio-Dano,

*Habebitur in Auditorio Theologico,*

*Pridiè Festi Resurrectionis Dominicæ,*

*qui ultimus Martii est,*

*In honorem DEI proximiq; commodum*

*denno multum correctior luci data.*

---

JENÆ, ex Ergasterio STEINMANNIANO.

ANNO M. DC. XCIII.



CHRISTUS  
IN PEC-CATIS NOSTRIS  
SERVIENS

DICTI PROPHETICI

ET. X. M. L. L. L.

Scire mectisi in indupitibus tuis &c.

Amundus & Ovidius

capit. no.

Quam

Doctore lesu fivonci agnifici Monvo

Propheta & in fivonci fivonci & fivonci

Fivonci fivonci

Ab plac. in ditionem proponit

publice

SALOMON GLASSIUS

Scire fivonci fivonci fivonci

Publice

RESPONDENTE

INGUARDO NICOLA

Amundus fivonci

Habebunt in fivonci fivonci fivonci

Fivonci fivonci fivonci fivonci

qui ulimus Martii est.

Ab lacina DEI provincia committam

committam tunc in lacina

JENAE, ex fivonci fivonci fivonci

Anno M. DC. XCII





בג

# EXPOSITIO

*Vers. 24. 25. capituli XLIII. Esaiæ.*

## TEXTUS.

24. אֲנִי הֵעֲבַדְתָּנִי בְּחַטֹּאתֶיךָ הוֹגַעְתָּנִי בְּעִוְתֶיךָ :  
 25. אֲנִי אֲנִי הוּא מַחָה פְּשָׁעֶיךָ לְמַעַנִי וְחַטֹּאתֶיךָ  
 לֹא אֶזְכֵּר :

## *Versio Latina:*

24. Servire me fecisti in peccatis tuis, fatigas me in iniquitatibus tuis.

25. Ego ego ipse, delens prævaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.

## *Germanica Lutheri:*

24. Mir hastu Arbeit gemacht in deinen Sünden / und hast mir Mühe gemacht in deinen Missethaten.

25. Ich / Ich tilge deine Übertretung umb meines willen / und gedencke deiner Sünde nicht.

A a

PRO.



## PROOEMIUM.

§. 1.

**Q**uando D. Apostolus 1. Cor. XV. 3. inquit *Christum mortuum esse pro peccatis nostris secundum Scripturas*, haud obscure ad V. T. scripturum, de Christo patiente & moriente tractantium, accuratam evolutionem nos remittit. Id quod & Christus *tum* exemplo suo facit, *tum* monito. *Prius*, dum monumenta Mosis, Prophetarum & Psalmorum de se loquentia Apostolis explicat, Luc. XXIV, 27. 44. 45. *Posteriorius*, dum scrutari jubet Scripturas (V. T.) easque de se testimonium perhibere pronunciat, Joh. V, 39.

§. 2. Quæ ipsa nos etiam movent, ut de passione acerbissimâ Salvatoris nostri Jesu Christi hoc meditationibus istis piis destinato tempore devotam ex Vet. Test. Canone, & præsertim ex Dicto allegato Esa. XLIII, 24. 25. instituamus ἐπεὶ ἠκούσθητε καὶ συζητήσθητε. Præstabimus id DEO feliciter annuente methodo eâ, quam ipse Christus in voce emphaticâ ἐπευχόμενος Joh. V, 39. nobis proponit.

§. 3. Est in illâ (observante Chrysofomo *Homil. XXI. in Genes.*) *metaphora*, ducta à fossoribus metallorum, qui intimas terra cavernas perscrutantur. Fossores rerumque metallicarum periti primò omnium de metallo ipso sunt solliciti, an auri, an argenti, an æris, an cupri, an plumbi & ferri effodiendi spes in aliquo loco effulgeat, inde etiam virgulæ divinæ (quam ita vecant) adminiculo eam ad rem uti solent: postea re probè exploratâ, & auri argente venis repertis ἐπευχόμενοι strenuè incipiunt, & repertas venas accuratè persequuntur; tandem suos ad usus effossum metallum accommodant.

Dispositio futurae traditionis. §. 4. Pari ratione in Dicti nostri Prophetici seu aurifodinae preciosissimæ inquisitione & explicatione rem aggrediemur, ut nimirum 1, *de metalli*, quod inibi continetur, quali-



qualitate sumus solliciti, hoc est, *subjectum, argumentum & scopum* ejus consideremus, an scil. de Christo Jesu patiente & passione sua nos DEO propitiante agat. 2. *Auro* ibi reperto, Christumque scopum Dicitur Prophetici esse, ostenso, venas ipsas accuratè perlustremus, hoc est, textum Propheticum ἀναλύωμεν resolvamus & explicamus. 3. Omnia ad usum suum & Christianam praxin accommodemus. Breviter dicendo, tractationis nostræ tres constituimus Partes: I. De subjecto & argumento; II. De textus expositione; III. De usu textus tum elenctico tum practico agat.

Christe, labore tuo qui caelica dona parasti,  
 Utilis ut noster sit labor iste, juva.

## PARS I.

### De subjecto & argumento textus differens.

§. 5. Ut absque fundamento imbecillis est edificatio, ita nisi invento scopo Scriptura est inutilis, ait Chrysoft. super Psal. 11. Illum pensis habentes Canonæ, ante omnia in hoc textu, ut utiliter tractari queat, scopum jure meritò inquirimus, Triplex autem hoc loco sententiarum in interpretibus videre est divortium; Prima inter illas mala est & execrabilis: altera media est aliquo modo tolerabilis; postrema bona est & laudabilis.

§. 6. Primam præter Judæos & Calvinianos, perduelles Christi hostes, amplectitur CALVINUS, nobilis ille Scripturarum ἑρβλωτής, cujus in Comment. h. l. pag. 434. hæc verba sunt: Qui hunc locum de Christo exponunt, sensum Prophetæ torquent. Quare simplicior mihi videtur hæc interpretatio: Conqueritur enim Dominus, quòd homines eum peccatis suis molestum onus subire coegerint, qui tamen reverenter se ei subicere debuissent. Nam cum insurgimus adversus DEUM, eum quasi servum proterviâ & petulentiâ nostrâ reddimus. Hoc autem melius exponit, cum ait, se labo-



rasse, id est, varia redia devorasse ob nequitiam populi sui. Ipsum enim quodammodo vulneramus & configimus, ut inquit Propheta, cum respicimus ipsius vocem, neque ab eo regi nos patimur. Calvinum sequuntur alii ejus complices, præsertim MUSCULUS in *Comment. pag. 601.* qui verba laboris & defatigationis, in hoc textu occurrentia, explicans, ita scribit: *Laborabat & fatigabatur (DEUS) tum ferendo tum corrigendo ipsorum (Judæorum) peccata. Haud cadit labor & fatigatio in divinam naturam, sed humano more loquitur, ut rem ipsam, imò indignitatem rei exprimat.*

§. 7. *Secundam sententiam amplectuntur GUALTERUS Homil. CCXXVI. in Esa. PISCATOR in annotat. ad h. l. SCULTETUS in idea concion. super Esa. & alii, qui de redemptione temporalis populi Judaici in sensu literali; de redemptione spiritali per Christum facta in sensu typico hunc locum, ut & totum Caput XLII. exponi posse & debere astruunt. Cui sententiæ PARÆUS quoque Calvinum defendens astipulari videtur, ut ex Anteparæo B. Hunnii pag. 367. videre est.*

§. 8. *Tertia B. LUTHERI in Comment. Esa. Tom. III. Jen. Lat. f. 386. a. & reliquorum orthodoxorum Scripturæ Interpretum sententia est, de Christo scilicet patiente, suæque obedientia, passione & morte æternam redemptionem promerente hunc textum in sensum literali agere, & Christi futuri Θεωυθρωπυς hæc ipsa verba esse. Cui orthodoxiæ astipulari videntur Tremellius & Junius in sua versione, quando ad vers. 26. sequentem annotant hæc verba: Contestatio ουυχρωπυιχην ad confirmandum superius documentum de gratuita peccatorum remissione in Christo, &c.*

§. 9. *Ut de dicto sententiarum divortio rectum Scripturâ dūce ferri possit judicium, utque unâ quasi fidelia duo parietes dealbari, hoc est, & sententiæ Calvini falsites, & posterioris orthodoxæ veritas conspici queat, hoc ponimus*  
 Ortho-  
 doxa senten-  
 tia. *theorema: Christus Jesus, servitute suæ exinanitionis & obedientiæ, laboreq; passionum crucis & mortis gratuitam peccatorum*

torum nostrorum deletionem impetrans; Dicti nostri Prophe-  
tici (in sensu literalis accepti) & prora & pappus est.

§. 10. Fundamenta assertionis nostrae producimus <sup>tum</sup> generalia <sup>tum</sup> specialia. In genere notari volumus (1) Pro-  
phetarum de Christo testificationem, quae non επιπόλαια I. In genere.  
transitoria & superficaria, sed ἀκριβέστατη accuratissima & Propheta-  
rum de  
exactissima est. Hinc Christi παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτο Christo tes-  
τα δόξας, passiones & subsequentes glorias non μαρτυροῦσθαι stificatio:  
solum seu testificari, sed ἐκζητῆσαι καὶ ἐξερευνησάαι diligen-  
ter exquisivisse atque accurate perscrutari fuisse dicuntur Pro-  
phetae i. Pet. I, 10. Quo pertinet universalis particula Om-  
nis, quae saepius Prophetico de Christo Salvatore testimo-  
nio adjungitur in N. T. Luc. XXIV, 27. Christus incipiens à  
Mose & omnibus Prophetis interpretatur discipulis in omnibus  
Scripturis, quae de sua passione exarata erant. Videantur  
etiam loca. Act. III, 18. 23. X, 43.

§. 11. Ex quorum locorum consideratione talem cum  
B. HUNNIO (in Antipar. I. pag. 765.) constituimus meritò  
Canonem: Ubicunque in Scriptura Vet. Test. de gratia DEI  
aut de propitiatione vel remissione peccatorum disseritur,  
(quod fit in omnibus Prophetis,) ibidem Prophetas ad Chri-  
stum respicere, eiq. testimonium perhibere ut Mediatori, extra  
cujus sacrificium ἰλαστικὸν passionis & mortis ejus nec gratia  
DEI, nec peccatorum venia locum illum apud homines in-  
venire queat.

§. 12. Ex eorundem locorum meditatione deducimus  
etiam hoc: si textus aliquis Scripturae Propheticae sine ulla  
absurditate & incommoditate de Christo Jesu, ejusque pas-  
sione exponi possit, & à plerisque Interpretibus expositus  
sit, perperam fieri, si à sana illa & analogiae fidei congrua  
expositione discedatur, & ad aliud quippiam textus trahatur.  
Ratio est: Quia omnes Prophetae de hoc Jesu patiente fe-  
runt testimonium. At in hoc vel illo loco testimonium non  
tulisse, evidenti satis ratione probari nequit.

§. 13. Sed ne obstrepant adversae parti addicti, ex an-  
tece-



Prophetæ  
sæpius à ty-  
po ad antity-  
pum digredi-  
untur.

tecedentium ουνεραία fieri manifestum, h. l. non de Chri-  
sto patiente agi, cùm de liberatione temporali ex captivita-  
te Babylonica in præcedentibus agatur, igitur in genere nota-  
ri iubemus (2.) *Prophetarum consuetudinem*, quâ à typo ad an-  
titypum de subito transire, & cùm de aliis rebus sermo ipsis  
est, ad Christum Scripturæ nucleum sese convertere, de quæ  
eo prophetare solent. Esa. I. luculenta de peccatis pœnisque  
populi Judaici extat concio, mox cap. II. ad Christi adven-  
tum & regnum prophetia flectitur, postea cap. II, 6. & seqq.  
ad cœptum de incredulitate populi sermonem fit regressus.  
Esa. VII, 1. seqq. cùm de longè aliâ re, de obsidione scili-  
cèt Hierosolymæ ejusque divinâ solutione à Propheta insti-  
tueretur narratio, subito tamen Evangelica de Christo, à vir-  
gine nascituro, pericope vers. 14. interseritur. Confer Esa.  
IX, 6. 7. 8. seq. XLV, 1. 8. Jerem. XXIII, 1. 6. XXXI, 22.  
XXXIII, 10. 13. 14. &c. Zachar. IX, 1. 9. Gen. XLIX,  
10. 18. &c.

§. 14. Præsertim autem sapiusculè à mentione corpo-  
ralis liberationis è captivitate Babylonica ad spiritualis libe-  
rationis per Christum expeditæ mysterium dilabuntur, idque  
(a) *Ob beneficii illius fundamentum*. Liberatio enim illa,  
ut & reliqua beneficia corporalia propter promissionem de  
Messia, ex Israëlitis orituro, contingebant. Esa. XLV, 4.  
XXXVII, 35. &c. (β) *Ob ejusdem typum*: quia liberatio ista  
corporalis, per Cyrum præstita, fuit typus spiritualis libera-  
tionis per Christum præstandæ. (γ) *Ob ejusdem usum*: Vo-  
luerunt enim Prophetæ animos auditorum excitare, ne toti  
defixi essent in corporale istud beneficium, ac si in eo vera  
salus consisteret, sed ut ad promissionem de Messia corda  
elevarent. Par est ratio præsentis textus, qui etsi Propheti-  
co de liberatione ex captivitate Babylonica oraculo subjun-  
gitur, de Christo tamen ut antitypo ejus (ad quem Prophe-  
ta ἐξερεινῶν καὶ ἐκζητῶν τὰ παθήματα αὐτοῦ redit) com-  
modè exponi & potest & debet, ut ex dicendis fiet manife-  
stius.

§. 15. III

§. 15. *In specie ad assertionis nostræ stabilitionem pro-II. In specie.*  
 ducimus (1) *Textus cum antecedentibus συνάφεια ac cohesio-* (1.) *Textus*  
*nem.* Etsi de liberatione corporali ex captivitate Babylonica *συνάφεια*  
 in præcedentibus aliquo modo (ut jam dictum est) agitur,  
 primarius tamen tùm hujus XLIII. tùm præcedentium XLII.  
 XLI. XL. capitum scopus est, celebrare beneficia per Chri-  
 stum in N. T. impetranda. Quod licet SCULTETUS *Idea*  
*concion. super Esa. LXIII.* negare præsumat, non tamen ob-  
 scurum potest esse illi, qui sine præconceptæ opinionis glau-  
 comate dicta capita intuetur.

§. 16. Cap. XL, 3. 4. 11. quin de præcurfore Christi Jo-  
 hanne & de ipsa Mediatoris suavi Ecclesiæ gubernatione a-  
 gat, dubium potest esse nullum. Cap. XLI, 27. מְבִישֵׁר Evangelizantis  
 cujusdam à DEO dati fit mentio, is quisnam sit,  
 ex sequenti statim cap. XLII, 1. seqq. cognoscitur: *Ecce, (in-*  
*quit DEUS Pater, is Evangelista, de quo dixi, est) servus me-*  
*us, in quo innitar, electus meus, in quo complacuit anima*  
*mea.* Is non *Israel bonus & fidelis* sive populus Israeliticus  
 (ut Semijudaizans quidam nugatur, cui respondet ipse SOCR-  
 NUS, & de Christo exponit in explicationibus locorum Scri-  
 pturæ, subnexis explicationi *I. Part. cap. I. Joh. pag. 67. seqq.*)  
 sed JESUS CHRISTUS est, ut patet ex Matth. III, 17. XII, 18.  
 XVII, 5. 2. Pet. I, 17. quibus locis *partim* Propheticus tex-  
 tus disertè ad Christum accommodatur, *partim* haud obscu-  
 rus ad eum respectus habetur. Cap. XLIII, statim sub initium  
 Dominus alloquitur Ecclesiam, illamque pollicitatione præ-  
 sentiæ suæ in omnibus adversis gratiosæ suavissimè consola-  
 tur (perinde ut Matth. XXVIII, 20.). Mox vers. 5. seqq. de  
 vocatione gentium illustre subjungitur vaticinium (quod  
 vers. 11. *Jehova* adseribitur, *extra quem non est Salvator.* Is  
 autem Christus est, Act. IV, 12.) Vers. 18. 19. 20. idem bene-  
 ficium repetitur, mentione solitudinis à DEO irrigatæ & fœ-  
 cundatæ, id quod per effusionem Spiritus Sancti & insculturam  
 Evangelii prædicationem inter gentes effectum iri, cap. XXXII,  
 15. seqq. Propheta docet. His demum præmissis, ad fontem ac



scaturiginem omnium beneficiorum Propheta textu præsentis accedit, ad gratuitam scilicet peccatorum condonationem, in sanguine patientis Salvatoris fundatam.

(2.) Textus §. 17. (2.) *Loci præsentis considerationem.* Evidentia *consideratio.* ejus talis ac tanta est, ut non nisi insigni quadam *ερεβλότητι* ac detorsione à Christo JESU patiente aliò trahi possit. Ecce enim (a) Is loquens hîc introducit, quem *propter peccata nostra servivisse sive laborasse & defatigatum esse* constat. Is vero Christus mediator est. Si obstrepat Calvinus, *ανθρωποπαθως* hæc accipienda & DEO metaphoricè tribuenda esse, jure flagitamus contortæ hujus expositionis solidum fundamentum. (*Solidum* inquam. Nam quod verbis, *ipsum quodammodo vulneramus & configimus, ut inquit Propheta, cum respicimus ipsius vocem, &c.* respicere videtur ad Zach. XII, 10. nullius momenti est. Is enim locus de Christo agit, teste Johanne cap. XIX, 37. Apoc. I, 7. & in pari damnabili culpa hæret Calvinus, quod verba Prophetæ, *respicient ad me, quem confixerunt*, metaphoricè *de continua DEI irritatione & perversa contumacia exponit* in *Comment. super Zach. pag. 709.*) Illud interea dum frustrà quæritur, nos textus proprietati insistentes conferimus cum dictis verbis Esa. LIII, II, ubi labor iste ad acerbam passionem refertur, ut totius capituli contextus luculenter ostendit: item Psalm. XXII, 15. 16. ubi defatigatio illa non minus ad passionis ignominiam accommodatur.

§. 18. (c) Is hîc loquens introducit, *propter quem delentur peccata nostra.* Ita enim habent verba: *Ego ego (sum) ipse, delens pravaricationes tuas* *לְעוֹלָתִי* *propter me.* At verò propter solum Christum delentur peccata nostra, attestante universa Scriptura. Dan. IX, 17. 19. Act. IV, 12. &c.

§. 19. Si pro palliatione Calvinii dicere velit *Paravi*, loquentem introduci Christum, *non ut mediatorem, sed ut Jehovam, verum cum Patre & Spiritu Sancto DEUM:* Brevisiter dicimus, subordinata non posse nec debere se jungi sibi-que invicem opponi. Loqui Christum ut Jehovam concedimus

dimus, idque patet ex collatione *vers. 16.* excludi verò ipsius mediatorium officium, sive ipsum non loqui ut mediator, negamus, cum *propter seipsum* (ratione officii istius *ἰλαστικῆς*) peccata se remittere dicat. Ita igitur argumentamur: *Cujus respectu* vel intuitu Jehova peccata condonat, ejus respectu loquens in hoc textu introducit. At respectu officii mediatorii & propitiatorii Jehova peccata condonat. Ergo respectu ejusdem introducit in h. l. loquens.

§. 20. Si Paræus excipiendo pergat, *sensum phraseos* *וַיִּמְלֵךְ* *propter me, non esse, propter meum meritum, sed potius, ut* Ezech. XXXVI, 22. *propter nomen sanctum meum, hoc est, propter clementiam meam*: Respondemus (a) ex præcedenti laboris & defatigationis sive passionis mentione palam fit, meriti intuitum hic non excludi. (b) Rursus perperam opponuntur ea, quæ se invicem consequuntur & præsupponunt. *Propter me* idem esse ac *propter clementiam sive gratiam meam*, concedimus, (& ita orthodoxè etiam explicat *Brentius* in h. l.) at propterea excludi Christi patientis meritum, inficiamur, quin invertendo totum concludimus, quia clementia & misericordia DEI extra & præter Christi meritum nullam potest habere locum, E. etiam h. l. idem meritum seu eadem satisfactio includitur. *Neque remissio peccatorum propterea desinit esse (respectu nostri) gratuita, si maximè in Christi Salvatoris merito consistat*, quæ sunt verba HUNNII in *Antipar. I. pag. 776.* apud quem plura de hoc argumento vide. Confer etiam inferius §. 71.

§. 21. (3.) *Aliorum locorum collationem*; quorum duo (3.) *Aliorum tantum evidèntia producimus*: 1. Psal. XL, 7. verba ita habent: *locorum Sacrificium & munus noluisti, aures fodisti mihi, holocaustum collatio. & sacrificium pro peccato non postulasti.* *Vers. 8. Tunc dixi; ecce veni, in volumine libri scriptum est de me, &c.* quo in Psalmo Christum loqui liquet ex Ebr. X, 5. 6. 7. &c. dicimus autem parallelum esse locum istum nostro textui vel maximè: *Quemadmodum enim Psalm. XL. oppositio fit in-*



ter Vet. Test. sacrificia ( quæ peccata expiare non potuerunt, Heb. X, 4. ) & inter Christum, unicum propitiatorium sacrificium : Ita eadem *ἀντιθεσις* est Esa. XLIII, 23. 24. 25. *Quemadmodum* ob inefficacitatem Vet. Test. sacrificiorum Christus dicit, quod ipse venturus, & in *Ἰουδαίαν* *Θεῶν ἐνοχλοῦσάδεντο* se oblaturus sit : Ita & Esa. XLIII. sacrificiorum istorum inutilitati futurum suum *laborem, servitutem, defatigationem*, hoc est, passionem & meritum opponit. Confer. etiam Malach. I, 10. 11.

§. 22. 2. Esaia caput LIII. luculenta præsentis textus est explanatio, ut accuratius conferenti & intuenti fiet evidens. Nam & *labor ac defatigatio*, cujus in nostro textu fit mentio, pulchrè de passionis ignominia & vehementia exponitur, & *passionis fructus*, gratuita scilicet peccatorum remissio non minus accurate proponitur *vers. 11.* Possunt huc referri omnia illa Scripturæ Dicta, quæ Christus pro nobis passum, & sanguine suo nos à peccatis purgantem describunt, quorum copia benè multa.

(4.) Sententia contraria conditio. §. 23. (4.) *Sententia contrarie conditionem.* Duplex ea, ut superius §. 5. 7. assertum. Prior Calvinii, quæ Christum mediatorem ab hoc textu planè exsculpsit. Posterior aliorum, qui secundariò & typicè eum inibi contineri asserunt. Utramque dicimus esse erroneam, maximè verò priorem.

§. 24. Est enim Calvinii illa expositio (a) *A textu aliena & contorta.* Ait Calvinus, non loqui hîc mediatorem, sed Jehovam. At Christum, qui est & Jehova & mediator, hîc introduci, paulò superius est ostensum. Ait Calvinus, sermonem esse non de labore proprio & intensissimâ passione, sed de labore metaphorico, qui *ἀνθρωποπαθῶς* DEO tribuatur. At de labore propriè accepto & defatigatione in agone & passione Christo obveniente agi, res ipsa loquitur. Ait Calvinus, DEUM (iratum) conqueri, quod ob nequitiam populi varia rædia devorârît, & quodammodò vulneratus & confixus sit. At verba *non iracundi & conquerentis,*



rentis, sed *planè propitii*, placati & peccata remittentis hæc esse, res non minus aperte clamat. Et qualis quæso connectio verborum Jehovæ: *Ego varia rædia devoravi* (ita enim Calvinus verba habent,) ob nequitiam tuam. Ergò tibi peccata tua remittam?

§. 25. (β) *Periculosa*, cùm firmissimum Judæis, Arianis & Photinianis oppositum pro astruenda vera DEitate Christi argumentum enervet & nobis eripiat, (quod ipse *Paræus*, citante D. HUNNIO pag. 770. diffiteri non potuit,) illud tale est: *Isse serviens & laborans in peccatis nostris, & delens iniquitates nostras propter se, est Jehova. Idem verò est Christus.* Ergò. Hic minorem à Calvino cum Judæis & reliquis hujus sulphuris & fufuris hominibus negatam & totum argumentum enervatum vides.

§. 26. (γ) *Nova* & ab antiquioribus ac sanioribus reliquis Interpretibus minùs recepta, qui uno ferè ore ad Christum patientem hæc verba referunt. Hieron. Tom. IV. in *Esa.* pag. 144. b. *Ego propter me, quia misericors sum, & patiens & multarum miserationum, delebo omnes iniquitates tuas, in asperione & sanguine Novi Testamenti, delens vetus chirographum, quod adversum te scriptum erat, & peccatorum tuorum ultra non recordabor, quæ tibi, si credere volueris, in baptisate dimissurus sum, &c.* Temeritas autem est, absque evidenti causa discedere à communi, rationumque columnis firmissimè stabilità interpretatione.

§. 27. Quin & Calvinum propriæ fidei complices quidam deserunt. ZANCHII (allegante Hunnio pag. 776. horum verborum hæc est *enphæsis*: *Idem ipse Christus, peccata nostra ita suo sanguine expiata condonat, non propter merita nostra, sed propter se, hoc est, propter merita sua, passionem & mortem suam, &c.* Et paulò post: *En deletionem iniquitatum nostrarum propter se, id est, propter suum sanguinem.* Hem DEUM redemisse Ecclesiam suo sanguine, & alia id genus infinita; quæ utrumque docent, nempe Christum factum esse servum, servisseque propter peccata nostra; Et eun-

dem ea delere propter seipsum, hoc est, propter suam mortem. An non hac ratione optimè consentiunt inter se, & suavem gignunt harmoniam Scripturae Veteris & Novi Testamenti? Ac si juxta regulam Christi ita scrutemur Scripturas, ut quæramus Christum, & quasi ductu Apostolorum, in eis illum inveniamus: quis homo improbare queat, (at improbat Calvinus sibi soli sapiens,) talemque Scripturarum interpretationem damnare? Est enim finis & scopus omnium Scripturarum Christus.

§. 28. Congrua his habet OECOLAMPADIUS in l. b. l. ubi glossam Calvini Judæis apertè simul adscribit: *Judei* (inquit, & Calvinus Ἰουδαῖων) hunc locum exponunt de patientia DEI, peccantes longanimiter ferentis & à peccatis nos prohibentis. Atqui sequentia comprobant hanc redemptionis fuisse viam, ministrante Christo, dicit enim: Ego deleo iniquitates, ego scilicet qui porto, & quem fecisti servire in peccatis: deleo peccata, non propter opera tua, sed propter me, hoc est, propter meam ipsius bonitatem. Hæc ille. Quin & Paræus ipse vi veritatis adactus à Calvino discedit, & per laborem atque servitutem notari passionem, Esa. LIII. descriptam, asserit pag. 161. *Defens. Calvin. contra Hunn.* Hæc de Calvini sententia.

§. 29. Altera sententia etiam si Calvini sit paulò tolerabilior, tamen & ipsa locum apud saniores Scripturarum interpretes mereri aliquem haud potest, cum in ipsa textus literalis expositione cum priore conveniat, Christi verò passionem & meritum secundariò tantum, in typo, & ut utilem doctrinam ex textu deductam ibi contineri asserat. Eadem, igitur contra illam militant argumenta, quæ superius sunt producta.

§. 30. Hisce nunc expeditis nostrum coronidis loco repetimus theoremata: *Christus JESUS, servitute sua exinanitionis & obedientie, laboreque passionum crucis & mortis gratuitam peccatorum nostrorum deletionem impetrans, Dicti nostri Prophetici (in sensu literalis accepti) & prora & puppis est.*  
ὁ ἄνωγος ἰσθμὸς τοῦ σκάφους

PARS

PARS II.

*Textus expositionem continens.*

§. 31. Auri spe effulgente, & Christum textus nostri Prophetici scopum esse ostenso, eundem juxta methodum supra positam ἐρευρᾶν & interpretari incipimus, quod commodissimè omnium fiet, si & φράσεων & πραγμάτων, verborum & rerum, accuratam habeamus rationem. Constituemus igitur duo hujus Partis secundæ Membra: Prius ἐξήγησιν γραμματικὴν complectetur, & verborum proprietatem, phrasiumque Propheticarum qualitatem atque ἔμφασιν expendet. Posterius ἐξήγησιν μεθοδικὴν καὶ θεολογικὴν habebit. resque in textu contentas ordine congruo digestas proponet & explicabit.

MEMBRUM I.

Ἐξήγησις γραμματικὴ.

§. 32. **וְ** ] particula μεταβατικὴ sequentia cum precedentibus verbis adversativè conjungens. Ariamont. *Verum*, Jun. & Tremell. *Quin*, Vatab. *Sed*, LXX. ἀλλὰ reddunt: aliàs etiam *certè*, *profectiò*, *tantum* significat. Accentus, supra positus, *Rebbiak* vocatur, commatis sive periodi nota: h. l. cum distinctione nulla sit opus, patet emphaticè ipsum adhiberi, sermonem paulatim sistere, & de dicendarum rerum gravitate quasi monere.

§. 33. **וְעָבַדְתִּי** ] *Servire fecisti me*, ut Ariamont. & Vatab. vertit, Jun. Tremell. *servitute premis me*. Luth. *Mir hastu Arbeit gemacht*. Est 2. præter. Hiphil cum affixo 1. pers. radix est **עָבַד** servivit, vel DEO, cum religiosè colendo; vel *hominibus*, ipsis operâ ac officiis inserviando; vel *terra*, illam arando, præparando, excolendo, &c. In Hiphil **וְעָבַדְתִּי** servire fecit seu coëgit, in servitutem redegit, Exod. I, 13. de dura illa servitute accipitur, cui *Ægyptii Israëlitas*

litas **בְּבָרָךְ** in savitia subjecerunt. Hoc loco servitium illud denotat, cui Christus ob peccata nostra tempore exinanitionis fuit subiectus, Philip. II, 7.

§. 34. Et notandum hic, quod verba in Hiphil. præter significationem directæ efficientiæ aliis etiam modis in sacris literis usurpentur, de quibus alibi. Hic non tam propriè & effectivè, (neque enim homines peccantes directâ efficientiâ fecerunt servire Filium DEI, vel in duram & diram illam servitutem depresserunt,) quàm vel occasionaliter, (quia homo peccans & genus humanum secum perdens occasio fuit Filio DEI, ut humanam naturam assumeret, & in ea se exinaniret, ut Lyranus explicat,) vel ἐμπατιωτέως etiam permotivè, (quia miseria humani generis causa προκαταρκτικὴ & permovens fuit istius divinæ misericordiæ,) accipitur. Et nota contra Calvinum, **עֲבַד** servitutem nuspiam DEO vel propriè vel metaphoricè (ut significet tædium sive fastidium) in Scripturis attribui.

§. 35. LXX. versio (quam nos habemus) h. l. variat, quidam Codd. habent **ὑπὸς μου**, *obsistis mihi*; alii **ὑπὸς σου**, *defendi te*; (ita legunt Cyrill. Theod. Euseb. *Lib. X. Demonstrat.*) alii **ὑπὸς σου**, alii etiam **ὑπὸς σου** σὲ, q. d. *proscuto me opposui in iniquitatibus tuis*, id est, contra iniquitates, & hoc verbo exprimi quidam dicunt, quid nobis Christus contulerit & quomodo dicatur laborem & dolorem pro nobis pertulisse.

§. 36. **בְּחַטֹּאתֶיךָ** ] Ariamont. *In peccatis tuis*. Pagn. *propter iniquitates tuas*. Tremell. *propter peccata tua*. Luth. in (Piscat. mit) *deinen Sünden*. Est nomen plurale cum præfixâ & affixâ particula. **בְּ** præfixum aliàs **בְּהַלְלִי** *beth vasis* dicitur, notans scil. subjectum in quo cujuscunque rei. Alia significatione etiam **בְּהַעֲזָרִי** *beth auxilii* dicitur, notans causam, instrumentum aut modum actionis, ut etiam h. l. commodè accipi potest, hoc sensu: *Servire fecisti me in peccatis tuis*. Sunt enim peccata nostra (ut antè dictum) causa impulsiva istius Filii DEI obœdientiæ. Neque

quæ tamen abauimus, pro *propter* etiã posse accipi, sicuè accipitur Gen. XVIII, 28. Os. XII, 13. & alibi תַּנּוּחַ plurale est constructum à singulari תַּנּוּחַ peccatum, scelus, (metonym, etiam *peccati pœnam*, item *sacrificium pro peccato* alibi significat,) radix est נִוּחַ erravit à scopo, peccavit, deliquit: ubique in Scripturis obvia. Accentus voci huic impositus zaphkaddon vocatur incisum minus sive comma (interdum etiam colon) constituens.

§. 37. הוֹגַעְתִּי ] Ariamont. *laborare fecisti me*, Tremell. *fatigas me*. Vulgat. *præbuisi mihi laborem*, Luth. und hast mir Mühe gemacht / connexivam ET supplens ut ἐμεινωσαυ. Est itidem 2. præterit. Hiphil cum affixo וֹ radix est עָבַד laboravit, defatigatus fuit. Convenire eam, Försterus in *Lexico* ait, cum radice עָבַד tetigit, & differre ab eadem modo significandi, *attactionem* scil. *laboriosam*, & *quæ cum anhelatione & defatigatione fit*, denotans. Et sic pulchrè cum hoc verbo (quod Christi acerbam agona & passionem h. l. notat,) conferri posset, quod Christus patiens Esa. LIII, 4. dicitur עָבַד *graviter affectus*, percussus, & vers. 6. ubi Dominus in Christum dicitur הִפְגִּיעַ *irruisse*, sive *occurrere & incurrere fecisse omnium nostrarum iniquitates*. Hic ille affectus iræ divinæ, hæc illa defatigatio, quam Salvator h. l. sibi attribuit. Vid. plura inferiùs *Part. III. quest. IV.*

§. 38. בְּעוֹנֹתֶיךָ Ariamont. *in iniquitatibus tuis*. Pagn. *propter iniquitates tuas*. LXX. ἐν ταῖς ἀδικίαις σου. Luther. in (Piscat. Herb. mit) *deinen Missethaten*. Est iterum plurale fœminium, præfixa & affixa voce stipatum. Abjecto בְּ præfixo, & הִ affixo, ut יְ nota affixi ante pluralia fœminia: item syllaba תִּ formativa plural. manet עוֹן perversitas, vitium, malitia, peccatum (in plural. mascul. & fœmin. formâ gaudet) radix est עוּהָ curvus, contortus, perversus, item, ad animum si referatur, pravus, malitiosus fuit, perversè egit. Accentus finalis huius versus *Siluc* vocatur, cui duo crassiora puncta, *Soph pasuc dicta,*

eta, adduntur, (etsi pro eodem accentu quidam habent,) inveniuntur autem notæ illæ in fine singulorum versuum Biblicorum, paucula si excipias loca, ubi *Athnach* versum claudit, Gen. IV, 8. XXXV, 22. Jos. IV, 1. VIII, 24. Judic. II, 1. etsi & hîc aliis aliter videatur.

§. 39. אֲנִי אֲנִי ] *Ego, ego.* LXX. ἐγὼ εἰμι, ἐγὼ εἰμι, repetitio ejusdem pronominis valde emphatica, quâ remotis omnibus causis meritoriis soli soli Christo laus illa & gloria gratuita peccatorum remissionis vindicatur.

§. 40. אֲנִי ] *Ariamont. ipse, Pagn. sum. Pisc. (bin) derselbig.* Luther. sensu inviolato omisit. Caterum Scripturæ usu satis comprobatum est, *pronomina ejusmodi separata* (si sint absque הַ prefixo & demonstrativo) *peculiari elegantia vel loco verbi substantivi poni, vel ellipsin ejusdem inducere.* Vide Genes. III, 11. quod nudus אֲנִי *essem vel ego* scil. *essem.* Sic vers. 17. & 19. Exod. XII, 11. &c. Sic h. l. *Ego ego אֲנִי sum (delens) vel ego ego is, scil. sum (qui deleo &c.).*

§. 41. Quidam hac voce אֲנִי respectum haberi asserunt ad nomen DEI, cujus vicem sustinere Pronomen istud, patere putant ex Deut. XXXII, 29. *Videte nunc, quia ego ego אֲנִי ipse, & non sunt Dii mecum,* id est, quod ego sum DEUS vel Jehovah, Esa. XLII, 8. XXXV, 4. Nehem. IX, 7. Esa. XLVI, 4. Quo fortean haud incongruè referri posset vox ὁ αὐτός, quæ Christo propter immutabilitatem (& consequenter etiam propter DEitatem) tribuitur Heb. XIII, 8. Et nomen αὐταυτός, quod admirabili significatus ambitu à se excogitatum dicit subtilissimus Scaliger *Exercit. CCCLXV. Sect. II.* Quidam etiam vocula אֲנִי in hoc textu posita respici ajunt ad primævam promissionem, Gen. III, 15. אֲנִי *ipsum (semen mulieris) conteret caput tibi (serpenti infernali.)* q. d. *Ego ego sum אֲנִי ille ipse illud semen mulieris, qui contriturus serpentis caput & prævaricationes tuas vi meriti à me præstiti deleturus sum.* Sed prima expositio plana est & simplicissima.

§. 42. מִחָה ] *delens seu qui deleo, vel simpliciter etiam*

iam, *deleo*. Solent enim Hebræi, qui præsens Indicativi non habent, pro eo usurpare præsens participium. (LXX. ἡ ἀλειψών *deungens*, seu *quod illinendo adhaeserat, abstergens*, quæ eadem vox græca usurpatur Coloss. II, 14. de obliteratione chirographi, ubi Syrus Interpres verbo ΝΟΥ utitur, quod *obducere litura, delere* significat, cognationem habens cum Hebr. וּבַי *calamus, stylus*, quasi esset calamo seu stylo superinducto ex charta scriptum aliquid delere.) Est particip. Benoni sive præsens in Paal, radix ex נָוַו terfit, abterfit, abluit aquâ oculos, & per metaph. abolevit, removit, destruxit, evertit, & de peccato usurpatum, *remisit, condonavit*. *Quidam* metaphoram ajunt esse in hac voce, quando de peccatorum remissione usurpatur, quâ alludatur ad tabulas rationum, in quibus annotantur debita, & significare talem deletionem, cum characteres debito persoluto oblitterantur & lineolâ perstringuntur. Quò referunt parabolam de rege, condonante decem millia talentorum, Matth. XVIII. & quod de deletione chirographi Coloss. II, 14. dicitur. Sicut autem debitum persolutum quamvis lineolâ deleatur, signatura tamen & pictura literarum manet: ita quoque peccata nostra (ajunt) ex libro DEI expunguntur, non ut non amplius extent, sed ne imputentur, cum Christi sanguine sint deleta. Cujus rei usus erit inferius *Quest. VII.*

§. 43. נַוְוָה ] Ariamont. *prævaricationes tuas*. Tremell. *defectiones tuas*. Vulgat. *iniquitates tuas*. LXX. τὰς ἀνομιὰς σου. Luther. *deine Ubertretung*. Est plurale cum affixo 2. personæ (propter quod terminatio genuina ם abjicitur) à singul. וּוְו defectio, rebellio, transgressio, idque *tertium* peccati synonymon nomen est, in hoc unico textu Prophetico occurrens: (multa scil. apud Hebræos, Græcos, Latinos & Germanos peccati nomina occurrunt, ut *vel ipsa appellationum frequentia naturam nostram de extrema corruptione seu depravatione accuset*, quæ sunt verba Dn. D. Mentzerii in *Exeges. August. Conf. Art. II. pag. 57.*) radix est וּוְו transgressus est voluntatem Domini ex superbia, re-



bellis, seditiosus fuit, defecit. Concord. Hebr. à R. Mardochea Nathan conscripta, ajunt, idem notare quod נסו id est, superbire, presumtuosè agere, ex certa malitia peccare: aut נבד id est, rebellare, pravaricari, deficere, unde dicit R. Kimbi, quod sit exire à voluntate vel præcepto, ex superbiâ.

S. 44. למעני ] Propter me. LXX. ἐνεκεν ἐμοῦ. Luther. Umb meiner willen. Est præpositio, denotans propter (& cum Infinitivo significat UT, eò quod, propterea) cum affixo I. pers. II. lam quidam ab inusit. radice נעם, quidam ab ענה (respondit) deducunt, quasi causam redditionem & responsionem denotet. Prov. XVI, 4. alia hujus vocis forma extat, למענהו propter semetipsum, cum deberet esse למעני simplex igitur forma esset למענהו (quæ nominum aliàs propria est,) inde & d. l. nominis vicem sustinere à nonnullis asseritur, de quo plura nunc non addimus. Hoc obiter notandum, למעני interdum causam meritoriam & impulsivam, ut h. l. interdum causam finalem sive objectum denotare, ut cap. eod. vers. 14. למענכם propter vos missi in Babel, id est, in usum vestrum. Accentus subscriptus Atnach dicitur, mediæ distinctionis sive coli ut plurimum nota, etsi interdum planè non distinguit, Gen. I, 1. Psal. XXXVI, 8. LXXXIV, 4. Jer. XIII, 13. &c.

S. 45. ופחיתותך ] & peccata tua sive peccatorum tuorum. Eadem vox quæ antea etiam adfuit, nisi quod variatio est in affixo, quod superius ו h. l. copulativum est, genuinam significationem (cùm aliàs valdè πολὺσημον sit) retinens.

S. 46. אלה ] adverb. negandi & non, cujus significata & idiotismos quære in Lexicis. Hoc loco nota, interdum א cum ו permutari, & in textu scribi אלה cùm legi debeat אלה ipsi. Talia loca 15. Masorethæ Hebræorum Critici observarunt, quorum enumerationem vide apud Schindler. in Lexico pag. 927.

S. 47. ארמון ] Ariamont. recordabor. Tremell. & Jun. in præsentem, recordor. LXX. μνησθήσομαι. Est autem futurum Paal sive Kal (quod initialis litera א quæ ארמון dici consuevit, in-

nuit)



nuit) à radice  $\text{ἤ}$  recordatus est, memor fuit, quomodo DEO attribuat, vide inferius §. 70. De accentu finali dictum §. 38. Atque hæc de  $\text{ἐξηγήσει γραμματικῆ}$  sufficiant.

## MEMBRUM II.

### Ἐξήγησις μεθοδικὴ καὶ θεολογικὴ.

§. 48. Benè Augustin. de *Verbo Domini Serm. II. Legat inferiora & superiora, & inveniet sensum, quem pravus volebat malè interpretari.* Ut igitur & nostri textus perspicua fiat explicatio, age paululum ad superiora recurramus, & brevem totius capituli XLIII. proponamus  $\text{ἀνάλυσιν}$ .

§. 49. Quatuor ejus constitui possunt partes: I. *Divina Dispositio promissio.* Promittit enim Deus Ecclesiæ (tùm Judaicæ, tum capituli XLIII Christianæ in N. T. colligendæ, ) I.) *gratiosam presentiam & protectionem,* vers. 1. seqq. cujus adducit partim certitudinem, quæ nititur (a) *divinæ veritate.* Sic dixit Dominus, vers. 1. qui scilicet constans & verax est in promissis. (β) *Divinæ benignitate,* palàm facta operibus gratiæ pristinis, creatione, redemptione, vocatione, appropriatione, quæ singula eod. vers. 1. continentur: partim modum & qualitatem: fit enim illa protectio (a) *per ereptionem ex periculis,* quorum duæ primariæ species exprimuntur, *aquarum scilicet & ignis,* vers. 2. (ut ex Psal. LXVI, 12.) ex quibus particularibus universalis (usu Scripturæ consueto) extrui debet regula. (b) *Per hostium directionem & aversionem,* aliò enim aliàsve ad terras remisisse se Deus ait hostes, ut populo suo interea parceretur, vers. 3. 4. cujus causa *amor divinus* constituitur, vers. 4. Promittit 2.) *Gratiosam Ecclesiæ N. T. collectionem, gentiumq; vocationem,* vers. 5. & seqq. cum quo conferat Esa. XLIX, 18. & seqq. Hæc capituli pars prima.

§. 50. II. *DEitatis vera assertio,* à vers. 8. seqq. Quæ (ut in antecedentibus quoque capitibus) expeditur mentione (1) *omniscientiæ & futurorum prædictionis:* ubi  $\text{κατ' ἀπορίαν}$  removetur omnis hominum sapientia, vers. 8. 9.  $\text{κατὰ θεόν}$  ponitur Deus, omnia exactissimè sciens, & servis suis,

tum *primario illi*, qui Christus est, vers. 10. tum *secundariis* seu Prophetis futura revelans, vers. 10. 12. (2) *Æternitatis*, vers. 11. & 13. (3) *Misericordie*, extra se enim non esse inquit Salvatorem, vers. 11. (4) *Omnipotentie*, vers. 13.

§. 51. III. *Promissionis continuatio*, à vers. 14. Promittit igitur DEUS 3.) *gratiosam ex captivitate Babylonica liberationem*, vers. 14. seqq. & *hostium captivantium deletionem*, ibid. 4.) Regressus fit ad beneficium secundum, à Jehova promissum, *vocationis* scil. *gentium* tempore N. T. quæ ipsa suavibus proponitur metaphoris, (α) *germinationis*, vers. 19. *novum* (inquit, beneficium) *germinabit* נִדְּבֵי, quam novitatem de Novi Test. tempore exponendam esse, patet ex 2. Cor. V, 17. Apoc. XXI, 5. (β) *Fœcundationis* locorum desertorum, ibid. (γ) *Cicurationis*, ferarum indomitarum, vers. 20. (δ) *Irrigationis* locorum aridorum, ibid. quibus beneficium dictum describi patet ex vers. 21. (Confer 1. Petr. I, 9. *Nescio*, inquit Münst. in b. l. si clarior aliquis locus ex Scriptura contra perfidos Judæos, quàm iste sit, produci possit, qui tam aperte abroget Judæorum ceremonias & sacrificia. Populum. inquit Propheta, *novum formabit sibi Dominus*, qui pro sacrificiis Mosaicis enarret laudes ejus. Vide etiam Galatinum Lib. VI. de *Arean. Cathol. Veritat. cap. XV. pag. 370.*) & ex collatione *cap. XXXII, 15. seqq.*

§. 52. IV. *Promissionis & beneficiorum divinarum causa ac scaturigo*. Multa & magna capite hoc & præcedente promissa sunt bona, ab iis ceu rivulis limpidis ad ipsum fontem Propheta digreditur, & causam manifestat, quâ motus DEUS tanta humano generi, Ecclesiæ & populo Judaico bona & dona conferat.

§. 53. Proponitur autem ea 1. ἀπὸ τῆς ἀπορίας, *negative*. Causæ sunt 1.) *non merita bonorum operum moralium*, quæ vers. 22. verbis *invocandi & laborandi* proponuntur. 2.) *Neque merita bonorum operum ceremonialium sive sacrificia*, ea enim si absque fide fiant, idem est ac si non sint oblata, hinc negat sibi esse quæpiam oblata sacrificia, vers. 23. neque

que eo fine (ut à DEO aliquid mererentur, ) fuère à DEO mandata, vers. eod. inde etiam in se ad placandum DEUM fuère inefficacia, quod adstruit vers. 24. & adipe victimarum *הרבותי* — *א* non inebriasti me, hoc est, explicante Luthero, non possunt placari ullis tuis studiis, nulla tua opera & sacrificia mihi satisfaciunt. 2. Deinde positivè. Causa & remissionis peccatorum & reliquorum omnium beneficiorum est unica & sola mea gratia, in merito & satisfactione meâ fundata, vers. 24. de quo mox plura.

§. 54. Huic & ἀποδ & δέοδ (cur homo nihil mereri possit, omnia verò in solidum divinæ adscribenda sunt misericordiæ) subjicitur causa vers. 26. Omnes enim sunt peccatores, à primo Parente Adamo constituti, vers. 27. (Rom. III, 23. V, 12. 19.) inde si pro merito hominum Judæorumque agere vellet DEUS, adjiciendi, anathematizandi, damnandi forent, vers. 28. Hæc brevis est capituli XLIII. analysis. Nunc ad vers. 24. 25. de qua pericope *αποδωσ*, nunc agimus, rever-

timur. §. 55. Dux primariæ sunt ejus partes. Prior de passione Dispositio Salvatoris: Posterior de passionis merito & efficacia agit. Illa præsentis vers. 24. hæc vers. 25. textus Prophetici.

PARS PRIOR.

§. 56. In priori parte tum ipsa passio, tum passionis causa & objectum consideranda proponuntur. Ipsa Christi passio duobus emphaticis exprimitur vocabulis; *א* *העבדתי* veruntamen servire vel etiam laborare fecisti me, utrumque enim vox Hebræa notat, quæ tamen conjungi, & hoc uno significatu efferi queunt, serviliter laborare fecisti me, seu laboriosè servire fecisti me. Loquitur autem, ut superius assertum est, Christus ipse Mediator, ad passionem suam pro peccatis humani generis ab æterno præordinatus, 1. Petr. I, 20. & à Prophetis divinitus illuminatis prædictus, 1. Petr. I, 10. 11. Annectitque hæc sua verba superioribus *μεταβάσει* Connexio adver-



cum præcedentibus. adversativâ, q. d. tantum abest, ut vel servitiis & operibus, vel sacrificiis aliisque laboribus me ad gratiam inflexeris, & dicta beneficia promerueris: ut potius in durissimam servitutem ob peccata tua me conjeceris. Brent. in Comment. h. l. sensu eodem ita connectit: *Non ego imposui vobis hoc onus & hunc laborem, ut vos vestris operibus expiaretis peccata: sed potius mihi hoc onus propter magnitudinem & gravitatem vestrorum peccatorum impositum est, ut ego assumam formam servi, & omnes humanas erumnas, ac tandem etiam probrosam mortem, &c.*

§. 57. Describitur igitur acerba Christi passio & exinanitio usque ad mortem crucis vocibus *serviendi & laborandi*. Quare huc referenda omnia ea dicta, quæ de *servitute & labore* Filii DEI incarnati & in carne passi agunt.

*Servitus cur Christo tribuatur?*

§. 58. *Servitus* Christo tribuitur aliquot in Scripturarum locis, idque fit 1) ratione officii mediatorii: ad quod expediendum à Patre missus est: Esa. XLII, 1. XLIII, 10. LII, 13. Ezech. XXXIV, 23. Zach. III, 8. in quibus locis *servus DEI* dicitur. 2) Ratione *humanitatis* & in eâ mirandæ istius *κατανώσεως* seu *exinanitionis*, de qua loquitur Paulus Philipp. II, 7. *Semetipsum exinanivit, μορφὴν δούλου λαβὼν, formam servi* (id est, conditionem servilem, humilem & abjectam) *accipiens, in similitudine hominum factus,* (id est, similis vulgaribus hominibus, subjectus omnis generis infirmitatibus humanis, excepto tamen peccato,) *vers. 8. & habitu inventus ut homo, humiliavit seipsum, &c.* 3) Ratione *hominum*, quibus in procuranda & promerenda salute servisse dicitur Matth. XX, 28. *Filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & (sequitur ἐξήγασε illius ministerii) daret animam suam redemptionem pro multis.* Servit autem Christus pro salute humani generis (α) *Legi DEI se subjiciendo, illamque perfectè pro nobis implendo.* Cum enim Dominus esset legis & Sabbati, Matth. XII, 8. Marc. II, 28. nihilo tamen minus nostri causa factus est sub lege (tanquam servus,) Gal. IV, 4. *ut eos, qui sub lege erant, redimeret.*

*dimeret, vers. 5. (β) Pro nobis in passione & cruce satisfaciendo, quò pertinet quod Philip. II, 8. Christus in formâ servi assumpta obediens factus fuisse dicitur usque ad mortem, mortem autem crucis.*

§. 59. *Laboris voce itidem passio Christi describitur, præ- Labor cur fertim Esa. LIII, 11, ubi vocatur עֲמַל נַפְשׁוֹ labor (qui cum Christo tri- miseria, dolore & anxietate plurima conjunctus est, id enim vox buatur. Hebræa emphaticè notat) animæ ejus. Duplici autem respectu Labor Christo patienti adscribitur, 1) ob molestiam & anxietatem; 2) Ob consequentem summam utilitatem: (utrumque enim vox laboris significatu suo comprehendit, juxta illud Gen. III, 19. In sudore vultus tui vesceris pane, ubi & laboris utilis effectus, & connexa molestia indigitatur.) Molestia & anxietas Christi quanta quamque exacta fuerit, melius cognoscere haud possumus, quàm si Christum in horto ἀγώνιστρον, apud Lucam cap. XXII, 41. seq. & in cruce de desertione suâ conquerentem, apud Matth. XXVII, 46. & reliquos Evangelistas devotè aspiciamus. Utilitas quanta sit, ex consideratione thesaurorum Christi passione ac merito partorum patescit. Hæc de servili Christi labore, & laboriosa ejus servitute,*

§. 59. Altera vox est הִגַּעַתְנִי defatigasti me, de emphasi vocis suprâ sufficienter dictum. Psal. XXII, 15. 16. LXIX, 4. (ubi eadem vox habetur) & vers. 22. hæc defatigatio satis exponitur. Calvinus metaphoricè de radiis hanc vocem accipit, quæ (incommodâ voce) devorasse DEUS dicitur ob nequitiam populi sui. Cui quid respondendum sit, Part. I. est dictum. Hoc loco notamus (1) nullum alibi hujus significationis in hac voce, de DEO usurpatâ, occurrere exemplum. Etiam si quidam conferant locum Esa. I, 14. ubi DEUS sacrificia Judæorum & cultum Leviticum (sine fide vera administratum) improbens dicit: נִשְׂאָהוּ עָלַי לְפָרֶחַ נְלֵאתִי נִשְׂאָהוּ fuerunt super me ad defatigationem, defessus sum (ea) sustinendo: quilibet tamen videt, esse diversitatem tum in ipsâ phrasi, tum in re, de  
D alia

alia enim defatigatione, passionis nempe Christi hoc nostro in textu agi, evidentia loci satis evincit, id quod in priori Esa. I. textu locum habere non potest. Haecenus ipsa passio.

## 2. Passionis

§. 61. *Causa & obiectum* exprimitur eodem versu, quando dicitur, 1. quod homines laborem istum & defatigationem Christo facerent (quod verbis in H. phil. 3. conjug. transitivâ positus innuitur; ) 2. quod peccatis suis & iniquitatibus id ipsam fecerint.

*Causa,*

§. 62. Duo dicimus exprimi his ipsis verbis; 1. *Causam*. Ea non *physicè* intelligenda, quasi homines (universim considerati) manu quasi injecta & vi illatâ Christum in servitutem & laborem illum conjecerint, sed *ethicè & moraliter*, quod scilicet homines, peccato corrupti, *occasionem* dederint CHRISTO duram illam servitutem sustinendi: vel quod propius accedit, quod miseria humani generis per peccatum *πρωτοπλασίω* introducta fuerit *causa προκαταρκτική* irritans quasi & movens divinam miserationem, ut egenis succurreret, neque opus pessundari suum funditusque deleri concederet. Hâc pertinent omnia scripturæ loca, quibus Christus dicitur *in mundum venisse, non ut judicaret mundum, sed ut salvaret*, Joh. III, 17. *Ut salvum faceret populum suum à peccatis eorum*, Matth. I, 21. *Ut destrueret opera Diaboli*, 1. Joh. III, 8. &c.

*& obiectum.*

§. 63. 2. *Obiectum*, vel quidnam illud sit, propter quod & cuius expiandi delendique gratia Christus passus est. Peccata id sunt, iniquitates sunt. *Servire me* (ait CHRISTUS) *fecisti* בַּחַטֹּאתֶיךָ *in peccatis tuis*, hoc est, (ut Lyranus & Osiander explicant,) pro peccatis tuis expiandis: & *defatigasti me*, בְּעוֹנוֹתֶיךָ *in iniquitatibus tuis* (delendis.)

§. 64. Referantur hâc (omissis aliis longè plurimis) sequentia Scripturæ loca, ex quibus lux nostro textui inferatur evidens: 1) Esa. LIII, 5. *Ipsè vulneratus est ob prevaricationes nostras, attritus ob iniquitates nostras*. Vers. eod. *Retributio vestra* שְׁלוֹמֵינוּ (id est, quod ob peccata nostra nobis ut *justa*

justa poena debebatur, ) *super eum*, & *livore ejus medicina p̄-*  
*rata est nobis.* Vers. 6. *Dominus fecit occurrere in eum iniqui-*  
*tatem omnium nostrum.* Vers. 12. & *ipse peccatum multorum tu-*  
*lit.* 2 ) Joh. I, 29. *Ecce agnus DEI, ὁ ἀρῶν qui tollit* ( qui su-  
 scipit in se & simul aufert ) *peccatum mundi.* 3 ) 2. Cor. V,  
 vers. ult. *Christus factus est pro nobis peccatum* ( non ἑνοπαρτι-  
 κῶς & *inhæsiuè*, cujus respectu eodem versu dicitur non novis-  
 se peccatum : sed λογιστικῶς, *imputativè*, non suscipiendo so-  
 lum poenas peccatorum nostrorum, sed etiam imputatione  
 peccatorum sibi facta, Esa. LIII, 6. ) 4 ) 1. Pet. II, 24.  
*Christus peccata nostra ἀνέχευεν* ( id est, ἀνωσε ἡνεχεν sur-  
 sum tulit, respicit ad verba Esa. LIII, 4. *morbos nostros ipse*  
*portavit, & dolores nostros bajulavit* ) *in corpore suo super li-*  
*gnum, &c.*

## PARS POSTERIOR.

§ 65. Post factam acerbae passionis mentionem, ejus-  
 dem usum fructumque proponit ipsemet Salvator vers. 25. qui  
 ad DEI propitiationem, nostrorumque peccatorum condona-  
 tionem refertur, ex quo ceu fonte reliqua beneficia universa  
 profluunt. Rom. IV, 6. 7. 8. V, 1. seqq. Agendum autem de hoc  
 versu distinctius.

§. 66. Proponitur in eo gratuita remissionis i. *Causa* 1. *Causa effi-*  
*efficiens* αὐτοκαταρκτικῆ. *Ego ego ille* ( sum, qui ) *deleo &c.* *ciens remis-*  
 inquit Jehova, extra quem non est salus. Repetitio ejus- *sionis.*  
 dem pronominis fit, 1 ) *Ad personæ excellentiam demonstnan-*  
*dam*, ut videlicet cogitemus, quantus is sit, qui suam  
 nobis in ignoscendis peccatis clementiam promittit, ipse  
 videlicet DEI Filius unigenitus, qui pro sua justitia omnes  
 peccatores odisse & æternum damnare debebat & poterat,  
 Psal. V, 5. XLV, 8. Confer Rom. V, 8. 2 ) *Ad beneficii ma-*  
*gnitudinem ostendendam*, ut scilicet cogitemus, tantum il-  
 lud esse, ut ipsi soli in solidum sit adscribendum. Remo-  
 verat in præcedentibus verbis omnia operum merita : nunc

per antithesin opponit, se unum & solum esse, qui peccata propter se remittat. Confer Esa. LXIII, 2. Act. IV, 12.

§. 67. Cæterum solius DEI est peccata *αυτοκρατορικῶς* condonare, utpote *cui soli à nobis peccatur*, Psal. LI, 6. & qui unus est ille *νομοθέτης qui potest perdere & salvare*, Jac. I, 12. Unde etiam Pharisei hoc opus solius DEI esse rectè judicabant, Matth. IX, 2. 3. & Christus ipse verum DEUM se exinde comprobat, ibid. vers. 6. Is igitur, qui verus DEUS & simul & mediator noster est, hoc loco astruit, se esse eum, qui peccata remittat.

§. 68. Voce *Νῆν* non incongruè dicitur respectum haberi ad *gratia hujus immutabilitatem*. Sicut enim Heb. XIII, 8. dicitur: *Jesus Christus est ὁ αὐτὸς idem* (id est, immutabilis in suâ veritate, misericordia, promissione, beneficiis,) *heri, hodiè & in secula*: Ita hoc loco ait Jehovah salvans, se esse *Νῆν eundem*, qui delet, delevit & delebit vi meriti sui peccata hominum, donec omnia ad perfectionem absolutissimam perducatur.

2. Remissionis *modus*.  
Quomodo  
deleantur  
peccata?

§. 69. 2. Remissionis peccatorum *modus*. Is duabus exprimitur phrasibus; 1. *הַחֲדֵל delens* (prævaricationes tuas,) de significato vocis superius actum in *analisi grammaticâ*. Fit autem peccatorum illa deletio 1.) & *primario* in *justificatione* & regeneratione hominis peccatoris, in qua gratis per solam fidem in Chsisti merito recumbentem ipsi peccata à DEO remittuntur, non *ut non amplius insit peccatum sed ut non imputetur*. Vide Rom. IV, 5. seqq. VIII, 1. Et si autem perfecta sit peccati in homine renato remissio, nondum tamen perfecta est ejus abolitio: manet enim in eo *τὸ σῶμα τῆς ἀμαρτίας*, Rom. VI, 6. *καὶ τὸ θανάτου*, Rom. VIII, 24. manet *homo vetus & carnalis*, vers. 14. *venundatus sub peccatum*, ibid. manet *lex membrorum repugnans legi mentis*, & *captivans hominem in lege peccati* &c. vers. 23. ideoque deletio illa fit quoque 2.) In *renovatione* & *sanctificatione*, quando homo renatus Spiritûs Sancti adjutus gratiâ *carnem crucifigit cum concupiscentiis ejus, ne regnet* pecca-



peccatum in seipso, Rom. VI, 12. & renovatur de die in diem, 2. Cor. IV, 16. Quia autem ad plenam in hac vita sanctificationem & peccati abolitionem pervenire est impossibile, idè deletio peccatorum fit 3.) In morte per ablationem sensus peccati. 4.) In cinerificatione, per sublationem ipsius peccati radicis: Et tandem plenaria consummataque fiet deletio 5.) In universali & gloriosa resurrectione, ubi ἐπιβίωσις cum gloria æterna decantari incipiet, ubi est mors, stimulus tuus? (stimulus autem mortis peccatum est,) 1. Cor. XV, 55. 56.

§. 70. 2. Ne opinio Papistica suboriri possit, illam deletionem (quæ in regeneratione homini contingit,) notare perfectam peccati extinctionem & omnimodam ablationem, ipsemet Christus explicationem ejus subjungit, inquit: *Et peccatorum tuorum non recordabor.* Quæ phrasid occurrit etiam Jer. XXXI, 34. (ubi de Novi Test. foedere sermo est, attestante Epistola ad Hebr. X, 16. 17.) Ezech. XVIII, 22. XXXIII, 16. Tribuitur autem DEO *reminiscentia* seu DEO tribuανάμνησις & *recordatio*, partim quidem μεταφορικῶς καὶ ἀνθρωποπαθῶς, partim etiam μετωνυμικῶς. Prius, dùm id, quod hominis est, ad DEUM transfertur, qui propriè loquendo, nec rerum oblivioni nec earundem reminiscentiæ obnoxius est. Posterius, dùm per verbum istud cognitionis, effectus cognitionem consequens intelligitur *Peccatorum* igitur *non recordari* (si de DEO dicatur, & θεογενῶς intelligatur,) est non ostendere vel edere externum offensionis atque indignationis documentum: seu peccata non punire, utpote cùm sint merito Christi tecta, & propter illud remissa. Mich. VII, 18. 19. pulchra hujus phraseos continetur expositio, quam vide.

§. 71. 3. Remissionis istius *objectum*. Illud sunt **ἁμαρτίας** Remissionis **ἁμαρτίας** *prævaricationes & peccata*. In priorè parte *objectum*. peccata etiam ut *objectum* considerata sunt, universalis scilicet à Christo factæ expiationis: Hic considerantur ut *objectum* remissionis, quæ vi universalis λύτρωσις unicuique verà fide

D 3

illud



illud sibi applicanti contingit. De priori loquitur dictum Heb. I, 3. ubi dicitur, quod Christus *δι' εαυτῆς per seipsum purgationem, καθάρσιον peccatorum nostrorum fecerit* (tollens scil. ea super lignum in suo corpore, I. Petr II, 24.) De posteriori loquitur dictum I. Joh. I, 7. *Sanguis Jesu Christi Filii DEI emundat nos ab omni peccato.*

4. Funda-  
mentum &  
meritum.

§. 72. 4. Remissionis fundamentum & meritum. Et si in vers. præced. passionis & mortis Christi facta est mentio, quâ sufficiens λύτρον pro debitis peccatorum nostrorum est persolutam: tamen non sine insigni emphasi illud hoc etiam versu repetitur. Ita enim Salvator: *Ego, ego ille, delevis iniquitates tuas ὑπὲρ propter me.* Piscator Herborn. τελειῶς seu finaliter vocem illam interpretatur, ut sit idem ac *propter meam gloriam, ut scil. manifesta fiat bonitas atque misericordia mea.* Licet autem absolutè hæc interpretatio rejicienda haud sit, cum ad eundem tandem collimet scopum, (gloria quippe DEI ista est, quod præter eum & extra eum non sit salus, Esa. XLIII, II, propter illam gloriam manifestandam quando DEUS remittit peccata, utique omnia consequendæ remissionis vel salutis merita excludit,) tamen textui & ἀντιθesis præcedenti concinnius est, si non de causa finali, sed de causa efficiente impulsivâ h. l. sermonem esse asseramus. Præcedit enim operum & meritorum humanorum mentio, propter quæ negat Dominus hominibus quicquam præstari beneficentiæ: Nunc seipsum opponit omnibus causis meritoriis atque impulsivis, quod ipse solus, & propter se solum (verâ scilicet fide apprehensum,) velit condonare iniquitates. Proponit igitur seipsum hic Christus ut *Mediatorem, propter quem & in quo DEI dilectio nobis peccatoribus contingit.* Quæ Zanchii etiam & Oecolampadii est expositio, ut superius est dictum.

§. 73. Esa. XLIX, II. eadem extat Jehovah loquela, ὑπὲρ propter me, propter me id faciam. Ubi tamen de causa finali sermonem esse subsequenti ostendunt verba, ut sit sensus: *propter suam gloriam, asserendam scil. & manifestam.*

standam Jehovaham id præstiturum. Propius ad locum nostrum præsentem accedit, quod Esa. XXXVII, 35. dicit Dominus: *Pretegam hanc civitatem ad servandum eam, לְמַעַן לְמַעַן propter me & propter David servum meum.* Ubi tamen non ipsius Davidis opera sive merita, sed promissio à DEO Davidi facta, 2. Sam. VII, 12. seqq. Psal. LXXXIX, 20. seqq. Luc. I, 69. 72. quam verâ fide sibi applicavit, intelligitur. Et sic nihilominus Soli Mediatori CHRISTO, in promissionibus veraci, laus ea in solidum vindicatur &c.

### P A R S III.

*Usum tum elencticum tum practicum complectens.*

§. 74. B. Lutherus hunc Prophetæ textum exponens: *Hic locus, inquit, diligenter cognoscendus est, continet enim maximos fidei nostræ articulos.* Verè ita est, ut in salubri ipsius usu faciemus nunc palam. *Dua autem distinctæ hæc in postrema parte constituendæ Sectiones: Prior usum elencticum exponet, & quæstiones controversas proponet, quarum inveniuntur ex hoc textu hauriri potest. Posterior usum practicum in consolatione, adhortatione, &c. consistentem attinget.*

### SECTIO PRIOR.

*Quæstiones controversas exponit.*

#### QUÆSTIO I.

*An Christus sit verus & æternus DEUS?*

§. 75. Etsi perduelles Christi hostes, Photiniani, con- queruntur, falsò sibi tribui, quòd negent veram Christi Deitatem ipsumque pro *ψιλό ανθρωπώ* habeant, meris ta- men ludere præstigiis, manifestòprehenduntur. *Catech. Racov. pag. 48. fatetur, evidentissimo ostendi posse, Dominum Jesum*



Jesum pro puro homine reputari nullo modo posse. At quomodo hoc explicant? OSTOROD. in *Instit.* pag. 132. Cum quis (inquit) purus & solum homo perhibetur, duobus modis id intelligi potest, & ratione essentiae & ratione qualitatum. Si ratione essentiae illud intelligatur, tum fatemur, essentiam Christi utpote veri hominis non aliam nisi humanam esse. Sin verò ratione qualitatum, & qualis ille homo sit, consideretur, dicimus, non nudum purum & solum hominem esse, sed aliquid amplius. Sic fatentur quidem, Christum esse verum DEUM, at audi rursus praestigias *Catech.* pag. 64. Christus (inquit,) etsi verus DEUS sit, non est tamen ille ex se unus DEUS, qui per se & perfectissima ratione DEUS est, cum is DEUS tantum sit Pater.

§. 76. Lubricis hisce sophisticationibus merito opponitur istud CYRILLI *Lib. XIII. cap. XIII.* ubi explicans locum 1. Joh. V, 20. *Hic est verus DEUS & vita aeterna,* subjungit: *Qui DEUS verus est, natura DEUS est.*

§. 77. Alibi de hoc ipso tractatur uberius, hac vice unicum ex textu nostro pro stabilienda vera & aeterna JESU Christi DEitate producimus argumentum, quod tale: *Qui laboriosam servitutem & defatigationem subiit propter peccata hominum, eademque delet, is est Jehova, DEUS Sanctus Israëlis.* Atqui Christus id ipsum praestitit. Ergò. Major in confesso est, & nititur connexionem vers. 24. 25. cum vers. 14. 15. ex qua verum naturam DEUM loqui liquidò conspicitur. Minor tamdiu certa erit & verissima, donec hunc textum de Christo non agere, evidenter fuerit probatum, id quod nec à Photinianis nec à Calvino fieri unquam poterit. Vide *Part. I.*

§. 78. Addimus argumentum alterum: *Propter quem solum delentur & condonantur peccata, is verus natura & aeternus DEUS.* At propter Christum solum delentur & condonantur peccata. E. Major tum expressè vers. 25. continetur, ubi remotis prius omnibus aliis remissionis peccatorum, & salutis meritis se solum sistit Jehova, propter quem delentur

leantur peccata; tūm vers. II. stabilitur, cujus verba sunt: *Ego, ego, Dominus, & non prater me Servator.* Minori tota Scriptura stabilimentum affert. Act. IV, 12. &c. de exceptionibus hæreticorum agemus in ipsa συζητήσῃ.

## QUÆSTIO II.

*An Christus pro peccatis nostris justitiæ divinæ satisfecerit?*

§. 79. Quemadmodum Philistæi olim fontes Abrahæ, quibus utebatur Isaac, cæno obstruebant, & implebant pulvere, ut dicitur Gen. XXVI, 15. Sic Photiniani fontem unicum & limpidissimum, ex quo solo omnis ad filios Abrahæ benedictio & salus profluit, Joh. I, 16. quantum in ipsis est, obturare & cæno blasphemiarum suarum atque ἐρεποδοξιών obstruere non verentur, dum *redemptionis & satisfactionis nostræ à Christo præstitæ mysterium pernegant.* Verūm sicut non passus est Isaac hanc injuriam, sed fontibus istis pristinum fossione sua restituit vigorem: Ita meritò nos quoque pro limpida hac salutis scaturigine asserenda & conservanda contra hostes veritatis fortiter pugnamus.

§. 80. Nostram eamque verissimam sententiam, quod *Christus propter peccata nostra expianda, & ad justitiæ divinæ satisfaciendum passus & mortuus fuerit,* ex præsentis textu hoc modo firmamus: *Qui sustinet ingentes labores & dolores propter peccata, & propter seipsum ( laboribus & servitute pressum ) peccata delet, is & peccata nostra eorumque pœnas in se suscepit, & pro peccatis satisfecit, ita ut non ex sola & nuda DEI misericordia ( exclusâ satisfactione ) ea remittantur.* At de Christo prius affirmat textus præsens Propheticus. Ergò.

§. 81. Excipiunt nefarii homines, (I.) in genere, *Christum tantūm exempli causa passum esse, non ut satisfaceret pro peccatis.* Falsò. Laborare, servire & defatigari hîc dicitur Christus, non propter exemplum, sed *in peccatis seu propter peccata delenda scil. & expianda.* Confer alia Scripturæ loca

E

Solis

Solis radiis scripta, præsertim Esa. LIII, 4. 5. 6. 1. Pét. II, 24. quibus textui nostro lux præclara confertur.

§. 82. (2.) *In specie ad h. l. Non agi in h. l. de Christo vel ipsius satisfactione, sed de molestia DEI vel ἀνθρώπων ἀθέτησις δια-  
ετα, quam propter peccata hominum sustinuerit. SOGIN. in De-  
fens. animadvers. contra Eutropium cap. IV. pag. 126. Non videtur  
ibi (h. l. vers. 24.) agi de redemptione ulla, sed tantum de molestia  
& labore, quem DEUS, humano more loquens, dicit se suscepisse  
propter peccata populi, id quod non minus in eo puniendo quam  
redimendo, evenire potuit. Resp. Quæ Calvino, eadem detorsio-  
ne uso, superius responsa sunt, sunt etiam huic responsa exce-  
ptioni. Quod Socinianus attexit, laboris illius susceptionem  
potuisse fieri non minus in puniendo quam redimendo, illius supra  
§. 24. non minus ostensa est falsitas, cum DEUS hinc non ut  
iratus ultor, sed ut benevolus Redemptor introducatur. Confer  
quæ de tota hac controversia disserit Dn. D. GERHARDUS  
Tom. III. LL. de Justificat. §. 35. seqq.*

### QUÆSTIO III.

*An Filius DEI seu DEUS verè sit passus?*

§. 83. Præter Nestorium ejusque asseclas negant id ipsum Calviniani, qui ad solam humanitatem passionem Christi restric-  
gant, eandem humanitatem non divinitati seu divinæ naturæ,  
sed toti personæ Christi, & sic etiam Filio DEI opposcentes.  
Contra quos in textu nostro validum militat argumentum, ubi  
ipse Jehova (qui est Filius DEI) sibi servilem laborem, & passio-  
nis molestias adscribit. Idem etiam, qui delet peccata pro-  
pter se, idem, inquam, dicitur passus. At qui delet peccata  
propter se, Jehova est. E.

§. 84. Observa autem hinc 1) Laborem illum servi-  
tutis ac passionis Jehovæ seu Filio DEI adscribi, non ἀσάκνω,  
sed ἐνσάκνω. Etsi enim verbis præteritis utatur Propheta,  
sic tamen istud 1. propter rei futuræ certitudinem, more  
Prophe-



Prophetis aliàs satis usitato; 2. propter futuræ passionis efficaciam, quæ profuit etiam antequam fuit. Confer Heb. XIII, 8. Apoc. XIII, 8. 2.) Filium DEI cum Scriptura dici à nobis passum & mortuum, non in natura divina proprietate, sed in assumpta humane nature infirmitate, ut loquitur Leo I. Epist. X. ad Flav. seu ut loquamur cum Apostolo, *caput carne*, 1. Pet. III, 18. IV, 1.

§. 85. Excipiunt Calviniani, (1.) Ἀλλοιωσιν hanc esse, quæ ea, quæ dicuntur de Filio DEI, ad solam humanitatem sunt restringenda, cujus ἀλλοιώσις autor Zwinglius est. Verum de Diaboli ista larva vide præclare differentem, eamque detrahentem Lutherum in *Confess. sua Majori*, & in *Formul. Concord. pag. 770. 771.* (2.) Esse illas predicationes verbales, figuratas & synecdochicas: quæ Beza, Ursini, Piscatoris & aliorum est exceptio. JUNIUS in *Theol. Diss. XXVII. §. 20.* loquendi modum hunc appellat *improprium maxime*. Resp. 1. Sic ne in omnibus istis dictis Act. III, 15. XX, 28. 1. Cor. II, 8. 1. Thess. II, 15. Apoc. XI, 8. Spiritus Sanctus improprie locutus est; 2. Hac exceptione Nestoriano ausu & realis ex unione personali resultans ἰδιωτισμοῦ tollitur, & persona Θεανθρώπου divellitur, & axioma illud verissimum (*actiones & passiones sunt suppositi*,) convellitur, & lytri sufficientia ac efficacia enervatur, imò funditus evertitur, cujus rei testem producimus CALVINUM *Lib. II. Instit. cap. XVII. Sect. I.* ita loquentem: *Equidem fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet iudicio DEI, non fore merito locum, quia non reperietur in homine dignitas, quæ possit DEUM promereri.*

## QUÆSTIO IV.

*An Christus passus sit dolores infernales?*

§. 86. Per dolores infernales nihil aliud intelligimus, quàm horrendam iram & iudicium DEI, quò peccata prosequitur, tyrannidem Satanae, maledictionem legis, abjectionem à facie DEI, æternæque mortis horrorem, quæ

omnia impetu quasi facta in Christi ἀγωνίζοντες & patientis sanctissimam animam irruisse, & ad tempus horribiliter eam afflixisse, *affirmant* Catholici orthodoxi, *negant* Cacolyci Jesuitæ. Bellarm. *Lib. IV. de anima Christi cap. VIII.* Fr. Suarez. *Controvers. in 3. Thom. Tom. II. quest. XLVI. Sect. 1.* Cujus quæstionis decisio, & affirmativæ veritas patescet evidentissimè, הַיָּצִיץ laborem, molestiam, lassitudinem seu dolorem illum consideremus, qui h. l. Christo Mediatori *vers. 24.* tribuitur. Dictum est superius §. 23. *cap. LIII. Esa.* hujus nostri textus plenissimum esse quasi commentarium. Perpendemus igitur hac vice tantum emphasin verborum, de hac re in dicto capite LIII. occurrentiam.

§. 87. (1.) *Vers. 11. molestia & lassitudo illa, cujus jam facta mentio, exponitur per נַפְשׁוֹ עֲמַל־laborem anima ipsius:* De emphasi vocis supra §. 59. hac vice notari volumus, laborem illum referri ad ipsam Christi animam, quam iudicii divini, maledictionis, abjectionis, & omninò gravissimarum tentationum Diabolicarum sensu, & inda ortâ incredibili mœstitiâ ac dolore afflictam fuisse, constat ex Christi ipsius ἀγωνίζοντες in horto (antequam corporis παθήματα sustineret) gravissimâ de hac re querelâ, Matth. XXVI, 38. ἀέλπυτος ἔστιν ἡ ψυχὴ μου ἕως θανάτου, *tristis est (summo perè dolens, supra modum & undiquaque mœstitiâ quasi obruta est) anima mea usque ad mortem,* unde & ibid. *vers. 37.* de ipso narratur, quod *cœperit λυπεῖσθαι καὶ ἀδυναμεῖν contristari atque angere gravissimè.* Unde etiam discipulos ad vigilantiam & preces hortatur, *ne intrent in tentationem,* *vers. 41.* eo ipso ostendens, omnium exquisitissimis anima sua se affligi tentationum fluctibus, unde etiam confortatione ἐνισχύσας Angeli cœlitus missi opus habuit, Luc. XXII, 43. Confer Joh. XII, 27.

§. 88. (2.) *Esa. LIII, 4. labor iste & molestia porrò ita exponitur, quod Christus sit נִגְוַע מִכַּף אֱלֹהִים וּמַעַנָה plagatus (ita Ariamont.) percussus DEI seu à DEO & humiliatus,*





tus, quæ omnia non ad corporis tantum, sed animæ etiam afflictiones & passiones pertinere evidenter conspicitur.

§. 89. (3.) Præsertim autem vers. 5, apprimè hoc ipsum explicatur, quando dicitur, מִסֵּר שְׁלוֹמֵינוּ עָלָיו castigatio retributionum nostrarum super ipso. (Quædam equidem exemplaria in singulari legunt שְׁלוֹמֵנוּ LXX. ειρήνην ἡμῶν: Varabl. Tremell. & Vulgat. pacis nostra: Sed Veneta ac Ariamont. editio, ut & Schindler. in Lexic. pag. 1875. ἃ interposito in plurali legunt שְׁלוֹמֵינוּ, quod idem Schindler. d. l. vertit integritatum nostrarum, h. e. omnium nostrum, à שָׁלֵם integer, absolutus fuit, &c. alii pacificationum nostrarum, sed concinnius vertitur retributionum nostrarum, quæ significatio vocis hujus extat Psal. LXXIX, 23.) hoc est, castigatio, quæ peccatorum, nostrorum justa retributio est, seu quæ justæ retributionis ac pœnæ loco ob peccata nostra super nos venire debebat, venit super eum (Christum.) Quænam autem illa retributio? Rom. VI, 23. ἡ μὲντι σὺντι ἀμοιβὴ τῆς ἁμαρτίας θάνατος ἐστίν: mors scil. non temporalis modò, sed præcipuè æterna, quæ est alienatio à gratia DEI, horror inferni, & οὐλύμῳ dicendo, dolor infernalis, ut docet subjuncta oppositio. Eandem igitur retributionem, eadem stipendia d. l. Christum pro nobis sensisse apertè dicitur. Benè SANCTIUS Jesuita in Esa. h. l. *Disciplina (inquit) retributionis nostræ super eum, id est, supplicium, quod nos retribuere ac rependere debuimus pro peccatis nostris, super eum imposuit. DEUS, id est, quicquid pœnarum DEUS à nobis exigere debuit pro peccatis, id ab innocenti Filio Pater exegit.* Hæc ille, nostram de sensu dolorum infernalium in Christo sententiam liquidò comprobans.

§. 90. (4.) Vers. 6. dicitur Dominus הִפְגִּיעַ, *occurrere fecisse in Christum patientem iniquitatem omnium nostrum.* Ubi triplex emphasis; 1. quòd הַפְגִּיעַ iniquitas (& peccatum & peccati pœna, quòd in singulari ponitur, ut totus & unus quasi cumulus peccatorum & pœnarum peccatis debitarum

innuatur, sicut Joh. I, 29. de Christo dicitur, quod sit *agnus DEI*, tollens τὴν ἀμαρτίαν peccatum mundi.) 2. Quod *iniquitas omnium nostrum* (totius generis humani, poena quæ ob peccata totum orbem inundare debebat; ) 3. Quod *iniquitas omnium nostrum fuerit velut agmine facta in Christum quasi conglomera & deducta*: (ea enim vis nativa vocis Hebrææ est; ) ac inter has poenas, peccatis nostris debitas, præcipuam, dolores scil. infernales, Christo non fuisse impositam, quis nobis persuadebit?

§. 91. (5.) Tandem dicitur etiam *ex carcere, & iudicio* *Ⲭⲉⲩⲱⲙⲟ* ( iudicio scil. iræ divinæ super peccata ) *sublatus*, vers. 8. *cum peccatoribus numeratus*, vers. 12. ( non solum quando inter duos latrones medio loco cruci affixus est, sed etiam quando ipsemet peccatum pro nobis factus, 2. Cor. V. vers. ult. & *maledictum* Galat. III, 13. & ut sceleratissimus peccator à DEO punitus fuit, ) & quæ aliæ in hoc capite occurrunt istiusmodi descriptiones, ex quarum omnium consideratione dogma Pontificium falsum, nostra verò doctrina vera ac orthodoxa esse manifestò conspicitur. Alia argumenta, ut & argumentorum adversariæ partis *ἐπιλοισιν* breviter studio nunc omittimus.

## QUÆSTIO V.

*An Christus sit passus & mortuus pro omnium  
hominum peccatis?*

§. 92. Etiam hac de questione hoc tempore & in explicatione textus hujus Prophetici haud inutiliter agitur. Negativam autem amplectuntur absoluti decreti Patroni, *Calviniani*, qui Christum pro solis absoluto decreto electis mortuum esse dicunt. Nos errori isti ( quem alibi jugulatum Scripturæ gladio ancipiti vide, præsertim apud Dn. D. GERHARD, Tom. III. Loc. de Elect. §. 107. seqq. Meisner. in *Ἀνθωπολ. Dec. II. Disp. XIII.* ) hac vice unicum ex textu nostro collato cum cap. LIII. Esaiæ, opponimus argumentum: *Illi laborare & servire fecerunt Christum in peccatis suis,*  
(seu

(seu quod idem est, illorum peccata Christus in se suscepit, proque iis satisfecit,) qui quasi oves erraverunt. Atqui omnes omnino homines tales sunt. Ergò. Major collatione textus præsentis cum Esa. LIII, 6. qui maximè parallelus καὶ ἔξινυθικὸς illius est, nititur. Minor tùm ex manifesta litera dicto vers. 6. tùm ex collatione locorum Psal. XIV, 2. 3. Rom. III, 11. 12. elucet. Alia ad conflictum differimus.

## QUÆSTIO VI.

*An Christus etiam secundùm divinam Naturam  
sit noster Mediator?*

§. 93. Sicut Calviniani divinam Christi naturam à passione: ita Stancarum (de cujus erroris origine primà vide Osiand. Cent. XVI. Hist. Eccles. Lib. III. cap. XXIII.) & qui ipsum sequuntur, Jesuitæ, eandem à passionis merito & mediationis officio excludunt. Utrumque erroneum & falsum est. De priori Quæst. III. actum. De posteriori sententia ut hæc Quæstione agamus, monet nos ἀφορμῆς concinnitas. Suppeditatur enim nobis in textu præsentis tùm nostræ sententiæ κατὰ τὸν κενὸν, tùm objecti à contraria parte argumenti ἀνασκευῆς firmamentum.

§. 94. 1.) Pro nostræ sententiæ stabilitone ita λογίζομεθα: Qui propter peccata nostra expianda laboravit (in redemptione) & peccata propter se ut mediatorem delet (in justificatione,) is ab officio mediatoris excludi minimè debet vel potest. At Christus ut Jehova id ipsum præstat. Ergò. Minor ex illa ratione patet, quia hic ipse, qui loquitur, est Jehova, de se asserens, quòd serviat, quòdque peccata remittat.

§. 95. 2.) Pro sua opinione ita concludunt Stancarista: Alium esse oportet mediatorem, & alium cui sit reconciliatio. Atqui Christus quὰ λόγος & DEUS, non est alius ab eo, cui sit reconciliatio. Ergò Christus quὰ λόγος non est mediator. At ex nostro textu Majoris falsitas liquido ostendi potest. Dicit enim Salvator, quòd reconcilientur sibi homines propter

pter seipsum, *וְיָמְלֵךְ* ut mediatorem scilicet, pro peccatis hominum *ἀνθρώπων* sufficiens persolventem. Confer 2. Cor. V, 19. Alias ad argumentum responsiones vide *Tom. I. Locorum Dn. D. Gerhardi de Persona Christi §. 180.*

## QUÆSTIO VII.

*An peccatorum remissio per totalem eorundem deletionem sit definienda?*

§. 96. Ita vult BELLARMIN. dum in baptismo peccata verè & totaliter tolli, (*Lib. I. de Bapt. XIII.*) in Justificatione prius peccata fugari, postea succedere infusionem gratiæ, (*Lib. II. de Justificat. cap. II.*) nullam ob deletionem istam peccatorum imputatione justitiæ Christi necessitatem esse, (*Lib. II. de Justificat. cap. VII.*) concupiscentiam in renatis reliquam non esse peccatum, (*Lib. V. de amiss. grat. & stat. peccat. cap. VII.*) ἀρεάφως καὶ ἀντιρεάφως dicitur. Cui stipulantur Gregor. de Valent. *Tom. II. Diss. VIII. de grat. BECANUS Part. II. Tract. IV. de gratia quest. I. COSTERUS in Enchirid. de peccat. orig. pag. 394. & alii.* Contra Orthodoxorum sententia hæc est, quòd peccatorum remissio non sit totalis peccati deletio, sed ejus ad reatum non imputatio.

§. 97. Superius §. 69. 70. hac de re aliquid dictum. Hoc loco dicimus, argumentum Bellarminianum, quod ex voce *דָּלַע* sive delendi in Psal. LI, 3. (ubi idem verbum est, quod in hoc textu Prophetico) necit, nullius planè esse ponderis, cum 1.) de deletione illa non ex censurâ rationis humanæ, sed ex schola Spiritûs S. sit judicandum, quæ peccata in justificatione & remissione tantùm tegi, non imputari, Psal. XXXII, r. 2. Rom. IV, 8. nequaquam verò penitus extergi asserit: cum 2.) in Psal. LI, II. manifesta addatur explicatio, quomodo David peccata sua deleri velit, quando vers. II. dicit: *Abconde facies tuas à peccatis meis.* Vers. 13. orat; *ne projicias me à facie tua,* ubi amica facies gratiæ & miserationis intelligitur: averti autem à peccatis suis petit faciem, austeram scil. iræ ac indignationis. Quod si verò peccatum

peccatum ita remittitur, ut DEUS illud facie sua irata non respiciat, utique in ipsa remissione ipsum peccati materiale seu vitiositatem naturæque corruptionem manere necessum est. *Cum* 3.) in nostro etiam textu explicatio habeatur istius deletionis. *Prima* quidem in ipsâ voce *אני*, vide superius §. 42. altera in phrasi, *non recordabor*, quæ DEI, non peccatum omnino ex natura extergentis, sed idem merito Christi regentis & personæ non impurantis, neque propter peccatum severè punientis actionem denotat. Vide D. Gerhard. *Tom. IV. LL. de Baptif. §. 130. seqq.*

### QUÆSTIO IIX.

*An & quomodo ministri Ecclesie dicantur peccata remittere, & absolvere?*

§. 98. Remotis omnibus aliis causis, sibi soli Jehova Salvator remissionis peccatorum opus vendicat: *Ego ego sum, qui deleo &c.* vide supra §. 66. quæritur ergò; *cur & quomodo Apostolis & ministris Ecclesie alibi idem opus adscribatur*, Math. XVI, 19. XVIII, 18. Joh. XX, 23. *Resp.* Excluduntur in nostro textu non causæ subordinatæ & organice, sive respectu DEI sive respectu hominum considerentur, sed causæ duntaxat *meritorie*. Ita ergò de tota hac re habendum. DEUS est, qui convertit, *justificat*, peccata remittit, Rom. VIII, 33. idque vi meriti à Christo præstiti, 1. Cor. VI, 11. 1. Pet. I, 2. illud autem facit *vel ἀμέσως immediatè*, in conversione quorundam miraculosâ & extraordinariâ, Act. IX, 3. seqq. *vel ἐμμέσως mediatè* & per illa organa, quæ ipsemet instituit. *Media* illa ex parte DEI sunt verbum *τὸ ἀκούσθαι*, *audibile*, ad quod pertinent *Lex divina, quæ iram operatur*, Rom. IV, 15. & *Evangelium*, ex quo *concepitur fides*, Rom. X, 17. *cum sit potentia DEI ad salutem omni credenti*, Rom. I, 16. *τὸ ὄρατον visibile*, quæ sunt Sacramenta gratiæ divinæ *ὁφθαλμοφανές*.

§. 99. Illa organa ut *δύναμιν* suam exerant, ab agente  
F
alio



alio opus est moveri. Cujus rei gratia institutum *ministerium verbi seu Spiritu*, 2. Cor. III, 8. & constituti ministri Evangelii, 1. Cor. III, 5. qui sunt *ὀνόματι μυστηρίων Θεῶν*, 1. Cor. IV, 1. hoc est, divina organa ad actionem propter quam instituta sunt divinitus, elevant, & tūm *verbo legis* terrent ac peccata accusant, tūm *Evangelii voce*, ut & verbi *ὀρατῶν* sacramentorum administratione consolantur, erigunt & peccata remittunt, utrobique tamen Spiritus Sanctus est, *qui arguit mundum de peccato*, Joh. XVI, 8. DEUS est, qui ministris plantantibus & rigantibus *ipse dat incrementum*, 1. Cor. III, 6. Et ita ad ipsum solum omnis demum justificandi & salvandi redit *δύναμις καὶ ἐνέργεια*, potestas & efficacia. Breviter: DEUS hīc agit *αὐτοκρατορικῶς* principaliter & directivè: Ministri agunt *ὀργανικῶς, ὑποτακτικῶς καὶ ἐκπαιδευτικῶς*, ministerialiter, instrumentaliter & ordinativè. Unde Θεῶν *οὐρεργοί*, 1. Cor. III, 9. & tūm *seipso* tūm *alios servare*, 1. Tim. IV, 16. vī scil, verbi, quo tractant, dicuntur.

## QUÆSTIO IX.

*An in negotio justificationis & salutis nostræ locus aliquis si tribuendus meritis hominum?*

§. 100. Bona opera hominem non tantūm *verè* justificare; (nimirum justificatione non *primâ*, quam per *infusionem gratiæ*, deletis prius peccatis, definiunt, sed *secundâ*, quam dicunt non *facere justos ex impiis*, sed *justiores ex justis*;) sed & *verè ac propriè esse merita*, & *merita non cujuscunque præmii*, sed *ipsius vitæ æternæ*, statuunt Romanenses, quorum prius BELLARM. proponit *Lib. IV. de Justif. cap. XVIII.* posterius *Lib. V. cap. I.*

§. 101. At his & aliis justificationis & salutis mediis gloria Christi haud parum derogari, ex nostro perspicitur textu Prophetico, in quo (II.) Soli Jehovæ Mediatori justificationis & remissionis peccatorum beneficium adscribitur. *Neve excipiat*, sermonem esse de justificatione *primâ*, non de

de secundâ, conjungimus locum Act. IV, 12. ubi ipsimus etiam salutis nullam aliam causam meritoriam esse præter solum Christum, liquidò evincitur. (2.) Omnia operum tam ceremonialium, quàm moralium merita in *ἀντιθέσει* vers. 22. seqq. antecedente removentur, vide supra §. 53. (3.) Remotis illis *propter se* (utique solum) beneficia ista contingere asserit Jehova vers. 25.

§. 102. (4.) Fundamentum remissionis peccatorum & salutis in eo constituitur, quod infiniti meriti precium in passionis redemptoris sit persolutum, *vers. 24.* qualis infinitas ab operibus humanis, jam antè *debitis*, Luc. XVII, 10. Eph. II, 10. *imperfectis*, Philip. III, 12. *immundis*, Esa. LXIV, 6. & si in se vel respectu actus justificationis considerentur, *coram tribunali divino ἀδουλοῖς*, Psal. CXLIII, 2. Job. IX, 2. 3. &c. quàm longissimè abest. (5.) *Vers. 26.* subsequentes omnes à primo Parente progeniti arguuntur peccati esse obnexii, vid. §. 54. ex quo concludit Paulus, & nos cum illo: *Omnes peccaverunt & destituuntur gloriâ DEI, justificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu &c.* Rom. III, 23. 24. Augustin. *Lib. IV. ad Bonif. cap. IV.* *Sicut solus Filius DEI factus est Filius hominis, ut nos secum filios DEI faceret: ita pro nobis solus suscepit sine malis meritis poenam, ut nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur indebitam gratiam.*

## QUÆSTIO X.

*An detur animarum post mortem purgatorium?*

§. 103. Purgatorium suum sic describunt Pontificii, quòd sit locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur anime, qua in hac vita non plene fuerunt purgata, ut nimirum sic purgata in coelum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum. Bellarm. *Lib. I. de Purgat. cap. I.* Ignis iste fatuus & fanaticus jam diu ex fontibus Israël ex-

unctus & explosus est, hac vice hoc unum monemus, non ἀγραφοῦν modò esse, sed ἀντίγραφοῦν etiam istum fidei Papisticae articulum, & nominatim pugnare cum dictis, quæ de purgatione peccatorum nostrorum loquuntur. Illa enim 1.) perfectè remitti; 2.) In hac vita istud fieri, ostendunt verba nostri textus vers. 25. (Confer Mich. VII, 18. 19.) & alia dicta evidentissima Heb. IX, 14. 1. Joh. I, 7. Apoc. I, 6. VII, 14. Ephes. V, 26. Tit. III, 5. Act. XV, 9. &c. Si igitur purgatio peccatorum duntaxat in hac vita speranda, frustrà statuitur aliquod Purgatorium post hanc vitam. Sed verum prius, ergo & posterius, &c. Augustin. *Lib. I. de peccat. meritis & remis. cap. XXVIII.* Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Et *Lib. IV. de Baptis. cap. XXVIII.* Fides Catholica non novit, nisi duo loca, ubi homines sint futuri perpetuò, cœlum beatorum, & infernum damnatorum.

## SECTIO POSTRIOR.

*Usus practicum in beata passionis Dominica meditatione attingens.*

§. 104. Gal. III, 1. Apostolus Paulus de suis ait auditoribus, quòd ipsis, inter ipsos crucifixus Iesus Christus, ante oculos προεγράφη, descriptus vel depictus sit, quò sermonis genere tum ipsos tum nos omnes admonet 1.) De verbi divini Apostolica prædicatione, quæ tam clarè tamque perspicuè mysterium passionis Christi nobis inculcat, ac si ipsimet Christum in cruce pendentem vidissemus. 2.) De fidei certitudine, quòd tantà πληροφoεία possit & debeat ea esse prædita, ac si ipsimet Christum in cruce sublatum & pro nobis patientem vidissemus. 3.) De passionis continua meditatione, quòd crucifixum hunc Christum semper intueri, hoc est, passionem ipsius, hujusque fructum & efficaciam meditari debeamus.

§. 105. Intuebimur igitur & hac vice oculis cordis crucem



cem Domini, quæ etiam in textu nostro Prophetico ante oculos quasi προεγράφη. Videbimus enim & inueniemus in eâ (α) *Summum mysterium*; (β) *Plenissimum thesaurum*; (γ) *Pulcherrimum exemplum*. Primum usum διδασκαλικόν: Alterum In passione τῆς ἐκκλησίας: Tertium παθητικόν nobis suppeditabit: de qui- Christi pro-  
bus porro brevissimè. ponitur.

§. 106. 1. *Summum mysterium & miraculorum mira- i. Summum culum in eo latet, quod Jehova dicit, se laborasse seruiliter, se mysterium defatigatum esse hostiliter: quod ita exponitur in N. T. quod auctor vite sit interfectus, Act. III, 15. Dominus gloria crucifixus, 1. Cor. II, 8. O verè mysterium & miraculum! ὁμολογεῖται μέγιστα τῆς εὐσεβείας μυστήριον* vocat Paulus, quòd *DEUS manifestatus in carne*, id est, homo factus est, 1. Tim. III. vers. ult. at quantò mirabilius, quòd *DEUS non solum homo factus, sed & in carne passus est? Mirabile est, dixerunt pii veteres, DEUM omnia fecisse propter hominem, magis mirabile est, DEUM ipsum hominem esse factum propter hominem, maximè verò mirabile est, DEUM hominem factum, pati ac mori propter hominem. Inde igitur elucet (a) DEI infinita erga Usus διδασκαλίας homines misericordia; (b) Hominum infinita miseria, quæ ἰκόνος infinito bono καλῶς πάντες ποιεῖται, Marc. VII, 37. opus habuit; (c) Infinita λύτρωσις Salvatoris efficacia.*

§. 107. 2. *Plenissimum thesaurum in vulneribus & la. 2. Plenissime tere crucifixi Christi contuemur & inuenimus, ex quo πλην- mus thesaur-  
ρώματι seu plenitudine nos omnes accipimus gratiam pro gra-  
tia, Joh. I, 16. Is digito exerto à Propheta nostro, vel Chri-  
sto potius ipso, ostenditur, dum remissionis peccatorum gra-  
tuitæ, quæ vi meriti infiniti Salvatoris nobis contingit, (sit  
mentio. In quo beneficio verè reliqua omnia (quæ alibi sin-  
gillatim expenduntur clariùs,) ceu in epitome quadam conti-  
nentur: quò respicit Apostolus Rom. IV, 6. 7. 8. ex quo loco  
talis nascitur demonstratio: μακαρισμός seu beatitudo ho-  
minis est beneficiorum Christi maximum eorundemque quæ-  
dam ὁμιλίη. Jam verò remissio peccatorum, Davide at-  
testante, est μακαρισμός τῶ ἀνθρώπου. Ergò, Et quid multis?*



cum Paulus dixisset Rom. VIII, 30. Quos justificavit ( quibus peccata remisit, in hoc enim consistit justificatio nostra, Rom. IV, 5. 6. ) illos glorificavit, statim vers. 32. subjicit; Deum tradendo ( in mortem ) Filium proprium donasse nobis omnia.

Ufus ὡς κλητικός.

§. 108. Hæc quomodo πρὸς ὡς κλησίαν & consolationem mentium afflictarum faciant, non est obscurum, σὺν ἀλλήλων usum istum comprehendit Apostolus d. I. vers. 33. Quis accusabit electos DEI? DEUS qui justificat ( qui peccata remittit. ) Vers. 34. Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui & est ad dextram DEI, qui etiam interpellat pro nobis. Vers. 35. Quis separabit nos à charitate DEI? &c. Hæc est occultatio illa & requies territarum columbularum Christi in foraminibus petra, de qua Cant. II, 14. illius scil. Petra, quæ perforata est clavis divinæ justitiæ in cruce, ex qua scaturit aqua, quæ sordes peccatorum omnium abluat, 1. Joh. I, 7. conscientias mundat, Heb. IX, 24. & coram DEI oculis nos gloriosos reddit, Ephes. V, 25. 26. 27. &c.

3. Pulcherrimum exemplum.

§. 109. 3. Pulcherrimum exemplum in visione Christi crucifixi ostendi & proponi, patet ex 1. Pet. II, 21. Christus passus est pro nobis, relinquens nobis ὑπογραμμὸν exemplum seu præscriptum, ut insistamus vestigiis ejus. Videtur Apostolus respicere ad typum Exod. XXV, 40. quando Mosi vox divina taliter sonat: Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte ostensum est. In quem locum ita Gregor. Lib. I. Registr. cap. X. Inspice exemplar obedientiæ, patientiæ, fortitudinis, caritatis, humilitatis, contemptus mundi, omniumque virtutum, quod tibi in monte Calvaria à Christo ostensum, ita tabernaculum virtutibus omnibus adornatum & perfectum DEO in anima tua construes.

Ufus παιδείας κλητικός.

§. 110. Ὑπόδειγμα, exemplum dedi vobis ( inquit Salvator ipse Joh. XIII, 15. ) ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Dedit tale ὑπόδειγμα, & ὑπογραμμὸν præscriptum etiam in oraculo nostro Prophetico, in quo παιδείας

μεν

per & monemur, v.) *Ut peccata poenitenter agnoscamus.* Illa 1.) Ad peccata  
 (a) infinitum bonum suppliciiis istis & doloribus immensis affe- torum agni-  
 cerunt. (β) Gratis à DEO propter Christi meritum condo- tionem.  
 nantur. Ergò meritò agnoscenda, deploranda, confitenda.  
 Hinc pertinet, quod Gregor. in *Psal. LI. Tom. II. pag. 954.* ex  
 Oraculo nostro deducit, quando ait: *Per Prophetam Dominus*  
*dicit; Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero:*  
*Tu autem memor esto* (etsi in fonte Hebraico aliter legatur,) &  
*judicemur.* Audi, quâ conditione iniquitatum tuarum se esse im-  
 memorem dicat, videlicet si tu memor fueris. Cave ergò, ne un-  
 quam, quod deliquisti, à memoria tibi excidat, aut aliqua ob-  
 livione peccata tua obliteres, &c.

§. III. 2.) *Ut à peccatis diligenter caveamus.* Illa tot 2.) Ad pecca-  
 & tantas Salvatori nostro facescere molestias. Meritò igitur torum vita-  
 cane vitantur pejus & angue. Illa gratis remittuntur, meritò tionem.  
 igitur à peccando in posterum abstinetur, ne in vanum gratiam  
 illam Dei receperimus, 2. Cor. VI, 1. *Sanus factus es* (ajebat  
 Christus ad hominem ex 38. annorum à Deveia gratiâ suâ conva-  
 lescentem,) *noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid conti-*  
*gat.* Erasmus & nos peccato nauos ἐχοντες, Matth. IX, 12. æ-  
 gritudine παρθεναπῶς affecti, Esa. I, 6. imò planè in peccatis  
 mortui, Eph. II, 5. ac fusus est sanguis medici, & factus est me-  
 dicamentum ægroti. *Ejus livore sanati sumus,* Esa. LIII, 5. &  
*vivificati.* Eph. II, 5. *Ambulemus igitur in luce,* 1. Pet. I, 7. opera  
 tenebrarum fugientes, Rom. XIII, 12. *ne posteriora deteriora*  
*fiant prioribus,* 2. Pet. II, 20.

§. III. 3.) *Ut peccata condolenter remittamus.* Christus 3.) Ad pecca-  
 ex mera gratia nostra peccata remittit, illorum non amplius torum con-  
 recordatur, quin potius in profundum maris abjicit, Mich. donationem,  
 VII, 19. *decem millia talentorum* remittit, Matth. XVIII, 24. 27.  
 & *chirographum delet, quod contra nos est,* Coloss. II, 14.  
 sumus igitur (& esse jure debemus) & hinc imitatores Christi,  
 I. Cor. XI, 1. Eph. V, 1. & in condonando proximi errata  
 faciles, ita verè & fidenter DEO preces nostras offerre & dicere  
 possumus: *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus*  
 debito-



*debitoribus nostris*, Matth. VI, 12. *si enim* ( inquit Christus ibid. vers. 15. ) *non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Confer Matth. V, 23. seqq. XVIII. vers. ult. Marc. XI, 25. 26.

Conclusio.

§. III. Vidimus igitur, quomodo in Oraculo nostro Christus crucifixus *ante oculos* Pauli verbo nobis sit *depictus*: Illum qui debito & dicto modo intuetur hinc in verbo & per fidem: videbit etiam olim in cœlesti gaudio per apertam speciem, 1. Cor. XIII, 12. *ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus*: ecce quod erit in fine *sine fine!* ut verbis Augustini *Lib. ult. de Civit. DEI, cap. ult.* hac vice concludamus.

## C O R O N I S.

I.


Ex eo, quod *sanguis Christi* dicitur *ab omni iniquitate nos mundare*, 1. Joh. I, 7. Ebr. IX, 14. & *justificare* seu remittere peccata, Rom. V, 9. id quod *solius DEI* esse, Esa. XLIII, 25. asseritur, rectè cum B. Chemnitio *Libr. de duab. Nat. in Christo cap. XXI. XXIV.* concludimus, humanitati Christi per & propter unionem personalem attributa verè divina & infinita esse communicata. Confer Matth. IX, 2. 3. 6.


II.


Caput Esa. LXIII. usque ad vers. 7. & de *Jesu Christo*, & de ejus *passione*, passionisque gloriosissima catastrophe primario agere, orthodoxè & convenienter dicitur, contra *Calvinum*, & alios, qui utrumque vel alterutrum negant.




b  
i  
i  
d  
n  
e  
o  
a  
r  
f  
e  
u  
r  
n  
n  
i  
o  
u  
r











CHRISTUS  
IN PECCATIS NOSTRIS  
SERVIENS,

*Sen*  
DICTI PROPHETICI

*Esa. XLIII, 24. 25.*

*Servire me fecisti in iniquitatibus tuis, &c.*

*Succincta & Orthodoxa  
explicatio,*

*Quam*

Doctore IesV faVenter annVente MortVo,

*Præcitu & consensu Veneranda & Ampliss.*

*Facultatis Theologicae*

Ad placidam disputationem proponit  
publicè

SALOMON GLASSIUS,

SS. Theol. Doctor & Professor

Publicus,

RESPONDENTE

INGUARDO NICOLAI,

Mulvadio-Dano,

*Habebitur in Auditorio Theologico,*

*Pridiè Festi Resurrectionis Dominicæ,*

*qui ultimus Martii est,*

*In honorem DEI proximiq; commodum  
denno multum correctior luci data.*

JENÆ, ex Ergasterio STEINMANNIANO.

ANNO M. DC. XCIII.

